

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

FUNDATIO LANCKOROŃSKI

**ACTA
NUNTIATURAE POLONAE**

moderatore Henrico Damiano Wojtyska CP

TOMUS VI

IULIUS RUGGIERI

(1565-1568)

collegit et paravit

† **THADDAEUS GLEMM**

supplevit et edidit

STANISLAUS BOGACZEWICZ



Non exstinguetur

ROMAE 1991

Redactio et administratio:

Institutum Historicum Polonicum Romae
19, Via Virginio Orsini, 00192 Roma, Italia

Introductionem Latine vertit:

Lucianus Olech

Textum graphice composuit:

Maria Lamberti

Correctiones fecit:

Lucianus Olech

Edidit:

Fundatio Lanckoroński
Friburgi Helvetiae

INTRODUCTIO

1. De Iulio Ruggieri nuntio

Vitam Iulii Ruggieri accuratius enarrare volenti non paucae obstant difficultates. Nomen quidem huius nuntii in multis fontibus et opusculis typis editis non raro inveniri potest, sed tamen in lucubrationibus, quae de munere eius in Polonia expleto tractant, frequentius occurrere videtur¹.

Iulius Ruggieri (Rogerius, Rugerius) ex Regio in Aemilia, Italiae septentrionalis provincia, originem duxit. Annus et dies, quo natus erat, ignoratur. Verisimillimum est eum cum clarissima illa et antiqua Rogeriorum gente, quae in regione ista sedem et domicilium habuit, consanguinitatis vinculis iunctum fuisse. Quae quidem gens eo imprimis facile gloriari poterat, quod ad colenda litterarum studia, ad divulgandam doctrinam, ad artem denique typographicam in provincia sua et tota Italia diffundendam multum contulit².

Ruggieri fuit homo multis animi et ingenii virtutibus ornatissimus, quarum crebram mentionem in epistulis etiam hic publicatis notare possumus³. Fuit etiam non vulgari bonarum litterarum scientia et eruditione theologica non contemnenda praeditus⁴. Desiderio autem studio theologiae se totum dedendi semper, etiam cum in Polonia officio nuntii fungeretur, firmiter tenebatur⁵.

Quas supra memoravimus ingenii et animi dotes haud dubie effecerunt, ut Ruggieri mox in curia pontificia versari coepisset et numero Sedis Apostolicae servitorum cooptatus sit breviter ante 21 IV a. 1553, cum summus pontifex Iulius III "Iulio Rogerio, clerico Regiensi", abbatiam Benedictinorum S. Angeli, Lamulis in Ducatu Urbinatensi sitam, contulit⁶. Ex quo tempore eum saepe sub nomine abbatis Lamularum in documentis occurrere videmus.

¹ Plura quam alibi de vita et opera Iulii Ruggieri reperire possumus in Angeli Mercati commentario: *Reggio-Emilia nel servizio diplomatico della Santa Sede*, Modena 1948.

² Mercati, p. 11-13. Consanguinitatis vincula Iulii Ruggieri accuratius stabilire et vitam eius penitus explorare iam pridem conatus est Iosephus Garampi. Quod litterae Ioannis Chrysostomi Trombelli, 21 V 1777 ad eum datae, clare demonstrant. Vide AV, F. Garampi 23, in "primo sbozzo", post f. 68a.

³ Cui testimonio sunt etiam epistolae novum nuntium commendantes. Vide N. 5, 9.

⁴ Vide N. 9.

⁵ Vide N. 55.

⁶ Abbatia haec vacabat, postquam card. Hercules Gonzaga ei renuntiavit. Vide Mercati, p. 13.

Eo ipso temporis spatio philosophiae et theologiae studiis (in Universitate studiorum Urbis aut in Collegio Romano) operam dedisse videtur, quae obtento gradu "artium et theologiae doctoris" absolvit. Huiusmodi enim titulo in litteris a. 1564 scriptis cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, Vitellotius Vitelli, eum alloquitur⁷.

Tunc quoque procul dubio amicitiam instituit cum Gulielmo Sirleto, eximio theologiae et litterarum studioso, Bibliothecae Vaticanae custode, cum quo ei, etiam cum in Polonia morabatur, epistularum commercium intercedebat.

Iam saltem initio a. 1561 abbas Lamularum collegio protonotariorum apostolicorum ascriptus est. Hoc enim titulo insignitus mense Iulio a. 1561 Hippolytum II Atestinum (d'Este) legatum in Galliam missum comitabatur⁸.

Cum ex itinere illo Romam revertisset, verisimiliter Bibliothecae Vaticanae sodalibus cooptatus, studiis theologiae operam dabat. Die autem 5 IX a. 1564 "ad recipiendum testimonia super sufficientia promovendorum" a cardinali camerario Vitelli est designatus⁹.

Ruggieri nuntius apostolicus in Polonia primum mense Iulio vel Augusto a. 1565 a Pio IV papa nominatus est. De qua tamen nominatione vagas solum et incertas habemus notitias¹⁰. Quod quidem consilio et hortatu cardinalium Gulielmi Sirleto et Ioannis Morone factum est¹¹, nam aliter hac de re sentiebant cardinales Stanislaus Hosius et Ioannes Franciscus Commendone, qui ad hoc munus promovendum proponebant Ioannem Antonium Facchinetti, episcopum Neocastrensem, postea Innocentium IX pontificem maximum¹².

Ad nostros usque dies servatum est conceptum instructionis, quae tunc ad usum Iulii Ruggieri, legationem Polonam obituri, verisimiliter a

⁷ Mercati, p. 13-14.

⁸ In litteris 23 I 1563 card. Gulielmus Sirleto ad card. Hieronymum Seripando scribebat Iulium Ruggieri, card. Hippolytum d'Este in Galliam comitantem, magnam Gallorum curiositatem animadvertisse erga Stanislaus Hosii "Confessionem catholicae fidei" et cardinalis Poloni summum studium in debellandis haeresibus in Polonia magni fecisse. Vide H. D. Wojtyška, *Hozjusz w oczach współczesnych* [De Hosio quid homines sui temporis senserint], "Studia Warmińskie", 16 (1979), p. 137.

⁹ Mercati, p. 14.

¹⁰ Breve hanc nominationem continens et alia ad eam pertinentia servantur in AV, Arm. 42, ms. 23, sunt tamen prorsus deleta. Nominationis Iulii Ruggieri mentionem legimus in litteris card. Ioannis Commendone ad card. Stanislaus Hosium, 25 IX 1565 datis, in quibus, praeter alias nominationes pontificias, nomen etiam adducitur protonotarii "Rugeri". Commendone scribit praeterea se inde a pontificatu Iulii III eius notitiam habere, animi eius virtutes laudat, difficillimum autem eius in Polonia officium in eo constiturum esse affirmat, ut episcopos inter se discordes ad unitatem et concordiam adducat. Vide Szorc, p. 455-456.

¹¹ Glemma INR, p. 265.

¹² Cfr. epistulas Ioannis A. Caligari ad card. Ioannem F. Commendone, 19 XII 1565 et 26 I 1566 datas, in AV, Lett. Principi 23 f. 137r-138v, 185r-187v.

cardinali Ioanne Francisco Commendone apparata est¹³. Rebus omnibus ad profectionem necessariis comparatis, summa 500 ducatorum a cardinali Francisco Gonzaga mutuata¹⁴, rerum suarum curatore vel agente, quem vocant, Romae Georgio Angoscioli nominato¹⁵, recens nominatus nuntius die 29 XI a. 1565 Urbe tandem discessit et iter in Poloniam ingressus est¹⁶. Quod inter alias civitates per Ferrariam etiam eum ducebat, ubi per aliquot dies, procul dubio apud consanguineum suum, Bonifatium Ruggieri, subsistere cogitabat¹⁷. Unde 9 XII ad cardinalem Carolum Borromeum litteras misit, quibus eum certiozem reddebat se 12 XII inceptum iter peregere intendere¹⁸.

Ferrariae etiam ei nuntiatum est de morte Pii IV, qui 9 XII a. 1565 diem suum obivit. Qua re missio eius in Poloniam per se revocabatur. Propterea iter suum ad tempus interrumpere et futuri pontificis hac in parte sententiam exspectare cogebatur¹⁹. Die 7 I a. 1566 ad Petri cathedram electus est Michael Ghislieri, qui nomen sibi assumpsit Pii V. Iam postridie eius diei celebratum est consistorium, cui interfuerunt cardinales Ioannes Morone, Alexander Farnese, Carolus Borromeus et Zacharias Delfino. In quo summus pontifex virtutes eximiasque animi dotes futuri nuntii, a praedecessore suo nominati, vehementer collaudavit et electionem eius libenter confirmavit²⁰.

Cardinales vero, recens electi pontificis mandatu, instructionem ad usum nuntii in Poloniam mittendi apparandam curaverunt²¹, quae 22 I 1566 a cardinalibus in aedibus Ioannis Morone congregatis confirmata et approbata est²². Interea Ruggieri, postquam electionem suam a cardinalibus confirmatam intellexerat, futuram legationem suam in Polonia obeundam accurate praeparare non desinebat²³. Itaque iam Idibus Martiis eius-

¹³ Vide N. 2. Ruggieri de rebus Polonicis a Ioanne F. Commendone, suo in nuntiatura Polona praedecessore, edoceri debuit. Vide litteras card. Caroli Borromei, 25 VIII 1565 (Ehrenberg IB, p. 19-20) et card. Marci Altemps 3 XI 1565 datas (ibidem, p. 20).

¹⁴ Vide N. 2, 3.

¹⁵ Vide N. 2.

¹⁶ Vide epistolam Adami Konarski ad card. Stanislaum Hosium, Roma 31 XII 1565 datam (Szorc, p. 605-607).

¹⁷ Cfr. litteras Bonifatii Ruggieri ad card. Carolum Borromeum, 19 I 1566 datas (Mediolani, BA, ms. F 107 inf., f. 91r).

¹⁸ Vide N. 2.

¹⁹ Cfr. epistolam Ioannis Caligari ad Ioannem F. Commendone, 19 XII 1565 datam (AV, Lett. Principi 23 f. 138 r), et litteras Iulii Ruggieri ad Carolum Borromeum (N. 3).

²⁰ Cfr. litteras, a card. Zacharia Delfino ad imperatorem Maximilianum II, Roma 12 I 1566 scriptas (autogr. Wien, HHStA, Röm. Hofkorrespondenz 4, fasc. 5 f. 15r-19v) et Prosperi d'Arco (N. 12, notam 67).

²¹ In elaborationem instructionis plures cardinales operam impenderunt, quod varietas ipsa documenti testatur. Card. Ioanni F. Commendone debentur gratiae, quod eorum nomina nobis nota sunt. Fuerunt enim Alexander Farnese, Ioannes Morone, Carolus Borromeus et Ioannes Reomano. Vide Glemma INR, p. 267.

²² Vide N. 4, notam 20.

²³ In instructione ad usum Iulii Ruggieri composita multum loci dedicatur seligendis idoneis hominibus, qui nuntio in munere suo obeundo praesto esse eumque adiuvarere debebant (cfr. N. 4). De co-

dem anni eum Patavii fuisse perspiciamus²⁴. Unde Romam se contulit, ut ibi expeditionem, quam vocant, adipisceretur, cuius partem efficiebant litterae credentiales et commendaticiae, quas 2 III 1566 a. consecutus est²⁵. Die autem 6 IV eiusdem anni iter in Poloniam interruptum resumpsit²⁶. Non sunt itaque voti compotes facti Hosius et Commendone cardinales, vehementer cupientes, ut nuntius quam citissime se in Poloniam conferret et comitiis Petricoviensibus, ad festa Paschatis indictis, interesse posset²⁷.

Iter nuntii nostri per Augustam ducebat²⁸, quo ineunte mense Maio pervenit et ubi dies aliquot constitit. Ibi etiam imperatorem Maximilianum II, Augustae tunc degentem, salutavit. Imprimis tamen, iuxta expressum instructionis praeceptum, cum cardinali Ioanne Francisco Commendone sermonem habuit, a quo accuratam rerum Polonicarum notitiam et litteras obtinuit, quibus eum regi, reginae ceterisque regni Poloniae proceribus commendabat²⁹.

Post paucos dies Augusta discessit et iter suum in Poloniam pergebat, ubi - praesertim in Varmia - impatienter expectabatur³⁰. Ipse tamen per Cracoviam³¹ Lublinum ad comitia se contulit, quibus rex Sigismundus coram aderat. Ad locum comitiorum advenit ante 16 VI³², nescimus tamen, quando, ubi et quomodo a rege exceptus sit, cum ad extremos usque mensis Iunii dies ab illo nondum sit auditus³³. Cuius rei causa in eo fortassis sita fuit, quod nuntius de argumentis in comitiis agitatis nonnihil aliter ac rex et regni proceres sentiebat.

natibus nuntii nostri futuram "familiam" suam componendi testatur epistula Melchioris Biglia, 16 III 1566 data (cfr. N. 8).

²⁴ Vide litteras Ioannis F. Commendone ad Ioannem Reomano, Augusta 14 III 1566 missas (Dengel NBD II/5, p. 95).

²⁵ Vide N. 5, 6, 7.

²⁶ Vide N. 12, notam 68 et N. 10, 11, 12.

²⁷ Vide epistolam Ioannis F. Commendone ad Ioannem Reomano, 14 III 1566 datam (Dengel NBD II/5, p. 95, 97).

²⁸ Huiusmodi itinerarium nuntio nostro in instructione praescribatur. Mandabatur enim ei, ut cardinalem Commendone, legatum pontificium in comitiis Imperii tum Augustae degentem, conveniret et de rebus Polonicis viva voce ab illo edoceretur. Cfr. N. 4.

²⁹ Vide litteras Ioannis F. Commendone ad card. Michaellem Bonelli, Augusta 11 V 1566 datas (Dengel NBD II/5, p. 210).

³⁰ Instructio iniungebat nuntio, ut card. Stanislaum Hosium, episcopum Varmiensem, conveniret et sententiam eius exquireret. Suadebat etiam, ut - communicato prius de hac re consilio cum Ioanne F. Commendone - antequam ad regem se conferret, cardinali in Prussia obviam iret (cfr. N. 4). Propterea fortassis retardatus nuntius illuc adventus magnae multis sollicitudini erat, quod manifesto testantur litterae Valentini Kuczborzski, 30 V, et Stanislai Hosii, 9 VI ad Martinum Cromerum datae (vide N. 14, notam 78).

³¹ Cum diebus 22 et 23 VI Cracoviae esset, Universitatem studiorum huius urbis visitavit. Vide N. 14, notam 78.

³² Vide N. 15.

³³ Vide epistolam Andreae Dudith ad reginam Catharinam, Lublino 29 VI datam (N. 15, notam 80).

Altera mensis Iunii parte in comitiis multum loci matrimonio regio dedicatum est. Preces enim senatorum et nobilium postulantium, ut rex cum uxore sua convivere vellet, omnino vanae et inutiles fuerunt, nam rex erga Catharinam inexorabilis manebat³⁴. Rigor autem hac in parte et severitas quaedam Sedis Apostolicae, quae ex instructione non obscure apparebat, efficiebant, ut nuntio difficillimum esset modum aliquem erga regem se gerendi aequum et idoneum invenire.

Alia res, quae omnium animos vehementer inflammabat, fuit decretum de arianis et anabaptistis ex Polonia pellendis. Ad quod acceptandum atque approbandum primas Uchański una cum Calvinianis regem impri- mis hortabatur³⁵. Ex altera vero parte decreto adversabantur qui, sententiam hac in parte cardinalis Hosii, a comitiis absentis, amplectentes, postulabant, ut omnes prorsus de religione dissentientes vel e Regno pellerentur vel tolerarentur, ita ut mutuis dissensionibus et discordiis vires eorum frangerentur ac debilitarentur³⁶. Eam hac de re opinionem et nuntius noster toto pectore amplexus est³⁷. Propter nimiam tamen inter senatores et nobiles opinionum discrepantiam die 5 VII huiusmodi decreti propositum omnino repudiatum est. At haec res primatis Uchański voluntatem a nuntio quodammodo abalienavit³⁸.

Praesentia in comitiis Lublinensibus nuntio nostro permisit totum commissorum sibi officiorum et munerum onus, quod in posterum subire cogeretur, mente quasi cernere et acriter comprehendere. Difficultates vero, quae eum exspectabant, eo maiores esse videbantur, quod Ruggieri, homo hucusque fere ignotus et praeter protonotarii apostolici nullo superioris dignitatis gradu in ordine ecclesiastico insignitus³⁹, nullam quoque auctoritatem apud eos habebat, inter quos ei commorandum et agendum erat⁴⁰. Eo certe libentius per Lovicium in Varmiam se contulit, quo 20 IX a. 1566 tandem pervenit⁴¹.

Ibi statim convenit cardinalem Stanislaum Hosium, qui magna tunc in Ecclesia auctoritate pollebat et eximia doctrina praeditus erat⁴², cuius postea auxilio et opera toto temporis intervallo, quo munere suo in Polonia

³⁴ Vide Wierzbowski JU, p. 443-445 et Kaniewska, p. V-VI, 10-12, 50-53.

³⁵ Vide Wierzbowski JU, p. 445-446.

³⁶ Wierzbowski U III, p. 138-139.

³⁷ Vide R. 4.

³⁸ Cfr. Wierzbowski JU, p. 446, 669-670.

³⁹ Decreto enim Concilii Tridentini statuebatur, ut qui dignitate episcopali insigniti erant, curae animarum in dioecesibus suis re vera operam darent. Missio itaque in Poloniam non episcopi, sed simplicis protonotarii, sui generis experimentum considerari potest, quod tamen in explendo munere nuntii felicem exitum non habuit.

⁴⁰ Cfr. N. 22 et Wierzbowski JU, p. 669.

⁴¹ Vide N. 22.

⁴² Stanislaus Klodziński litteris Roma ad Hosium missis, nomine suo et aliorum cardinalem rogabat, ut Romam ad conclave, ad 21 XII indictum, veniret, et spem electionis ad Petri cathedram non abscondite ei faciebat (Szorc, p. 579-580)

fungebatur, abunde usus est⁴³. E manibus quoque eiusdem cardinalis ante diem 4 XI a. 1566, probabiliter Braunsbergae, sacros presbyteratus ordines accepit⁴⁴.

In Varmia Ruggieri aliquot menses commoratus est⁴⁵. Unde initio, una cum Hosio, Gedanum proficisci in animo habebat, postea tamen sententiam mutavit et incepto destitit, affectae valetudinis excusatione usus. Sed vera huius mutationis causa sumptuum magnitudo fuisse videtur⁴⁶. Ignoramus, utrum postea aliquando occasionem urbem illam videndi nactus sit.

Ex Varmia nuntius noster profectus est ad comitia Regni, quae inde a 7 usque ad 14 IV a. 1567 Petricoviae celebranda erant⁴⁷. In oppido isto diutius substituisse videtur, vel paulo post denuo illuc pervenisse⁴⁸, quod fortassis cum processu informativo Stanislai Karnkowski, ad episcopatum Vladislaviensem nominati, erat coniunctum⁴⁹. Deinde Cracoviam se contulit⁵⁰, ubi ad finem usque legationis suae in Polonia et reditum in Italiam commoratus est.

Omnes conatus Iulii Ruggieri in Polonia eo imprimis erant conversi, ut ad renascentiam, renovandam atque roborandam catholicam Ecclesiam aliquid conferret. Quod quidem per receptionem decretorum Concilii Tridentini in Polonia obtineri posse sperabatur. Sedes tamen Apostolica serio metuebat, ne opera primatis Iacobi Uchański, novitatum in rebus reli-

⁴³ Cuius rei testes sunt eorum epistolae, ad alios communiter datae (vide N. 34, 37, 40, 47, 48,), et litterae ad ambos communiter scriptae (vide N. 24, 25, 27-29, 31, 38, 41, 42, 44, 45, 49).

⁴⁴ Ruggieri nuntius in Polonia nominatus est, cum ne diaconatus quidem dignitate auctus erat. Quo non obstante 3 IV 1566 concessae ei sunt "facultates" cum potestate legati a latere (vide N. 10). Additicias "facultates" obtinuit 18 VI 1566 (vide N. 16). Propterea supplicem libellum summo pontifici porrexit, cuius tenor fuit "Iulius Rugerius, Protonotarius, Familiaris V. rae Sanctitatis, ad praesens apud Ser. mum Poloniae Regem, per eandem Sanctitatem V. ram destinatus, suus et Apostolicae Sedis Nuncius, [petit], quatenus sibi, qui altissimo Deo victimam in altari cupit immolare salutis, ac per suum ordinarium ordinari et a iure statuta tempora expectare commode nequit, ut a quocumque maluerit, gratiam et communionem eiusdem Sedis habente, Catholico Antistite aliquibus tribus dominicis seu aliis festivis diebus, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, Antistitique illos conferenti, oratori vero recipienti, libere et licite licentiam et facultatem concedere et indulgere dignemini" (AV, Arm. 42, ms. 26 f. 184r). Cui petitioni summus pontifex 20 VII 1566 clementer annuit (vide N. 18). Exactus dies, quo presbyteratus ordines acceperit, nobis ignotus est. Nihilominus 29 VIII Ruggieri adhuc Lublini morabatur (vide N. 20), dum 20 IX iam Braunsbergae eum fuisse videmus (vide N. 22). Die autem 4 XI card. Gulielmum Sirleto de ordinatione sua sacerdotali per litteras certiore reddebat (vide N. 23).

⁴⁵ Exactus dies, quo nuntius Varmia discesserit, ignoratur. Certum tamen est eum iam 23 III 1567 a curia Hosii afuisse, quod demonstrant litterae cardinalis eodem die ad Martinum Cromerum datae (vide N. 53, notam 226).

⁴⁶ De qua re Valentinus Kuczborski 17 X 1566 ad Martinum Cromerum scribebat (vide N. 22, notam 98).

⁴⁷ Vide N. 50, 53, 55, 56.

⁴⁸ Quod testari possunt litterae nuntii ad card. Gulielmum Sirleto, Petricovia 23 VII 1567 datae (vide N. 72).

⁴⁹ Vide A. 14.

⁵⁰ Ut conicere possumus ex epistulis, 31 VII et 18 IX Cracovia ad regem Sigismundum Augustum missis (vide N. 74, 83).

gionis suspecti⁵¹, synodus provincialis degeneraret et in concilium nationale mutaretur. Propterea, licet eius praeparatio iam satis processerit, synodus provincialis Ecclesiae Polonae indicta non est⁵².

Ruggieri eodem tempore munere suo in Polonia fungebatur, quo primae scholae Iesuitarum ibi condebantur⁵³ primaque erigebantur clericorum seminaria⁵⁴, quorum ipse fautor erat acerrimus. Cordi ei quoque erat cura tutelaque Polonorum, qui Romae studiis litterarum operam dabant⁵⁵, Catechismi Tridentini in Ecclesia Polona divulgatio⁵⁶, renovatio monasteriorum et vitae religiosae emendatio⁵⁷. Sperabat enim fore, ut sic firmata et roborata Ecclesia contra "novae religionis" vim et impetum eo efficacius resistere possit.

Ruggieri simul contra novatorum seu reformatorum, ut aiunt, nova incrementa acriter pugnabat, eo quod regem modis omnibus adigere nitebatur, ut omnem in rebus religionis inertiam atque ignaviam deponeret et Ecclesiam in debellandis novitatibus diligenter iuaret. Hac in parte nuntio nostro, in ipso legationis suae exordio in laude certe ponendum est, quod in comitiis a. 1566 celebratis studio eius et opera refutatum ac repudiatum est decreti illius propositum, quo antitrinitarii et ariani exsilio multandi erant, ceteri vero in sacris dissentientes tolerari debebant⁵⁸.

Nuntius quoque, una cum cardinali Stanislao Hosio, regem non raro interpellabat pro catholicis christifidelibus, quibus ab heterodoxis periculum instabat, et patrocinium regum ac tutelam eis impetrabat⁵⁹.

Magnum sane fastidium ac molestiam afferebat nuntio familiaritas quaedam regis cum oratore imperatoris in Polonia Andrea Dudith, episcopo Quinque Ecclesiarum, qui ducta uxore ab Ecclesia catholica defecit. Sedes vero Apostolica, quia timebat, ne huiusmodi arta cum apostata consuetudo regi perniciosa esset, vehementer flagitabat, ut iste poena debita afficeretur et ab aula regia prorsus amoveretur⁶⁰. Quo autem in posterum Ecclesia Polona firmis unitatis vinculis cum Sede Apostolica iuncta maneret, nuntius se opponere debebat, ne post mortem Sigismundi Augusti Ioannes Sigismundus Zápolya regno in Polonia succederet⁶¹.

Quae omnia in id intenta fuerunt, ut quae ab Ecclesia amissa erant recuperarentur et incolae, praesertim oppidorum et civitatum, ad catholicam religionem rursus amplectendam adduci et adigi possent. Exemplum hac

⁵¹ Cfr. N. 4, 57, 89, A. 16.

⁵² Cfr. N. 21, 24, 25, 27, 29-31, 33, 38, 40, 41, 44, 50, A. 1, 2, 6, 15, 16.

⁵³ Cfr. N. 22, 33, A. 4.

⁵⁴ Cfr. N. 52, 57.

⁵⁵ Cfr. N. 57, 71.

⁵⁶ Cfr. N. 1, 57, 66, 73.

⁵⁷ Cfr. N. 90, 91.

⁵⁸ Vide supra et N. 14, 15, 20, R. 1, cap. X, XVII; 4.

⁵⁹ Cfr. N. 34, 37.

⁶⁰ Cfr. N. 65, 68, 75, 79, 84, 87, 91, 94, A. 12, 18, 20.

⁶¹ Vide N. 85, 91, 94.

in parte rei feliciter gestae in civitate Dantiscana imprimis cernere possumus. Ubi cum multi conatus frustra facti essent ad Iesuitarum operam et auxilium in civitate ad fidem catholicam iterum convertenda sibi conciliandum, neque speratum a nuntio felicem habuissent exitum⁶², Ruggieri ad Ordinem Praedicatorum se convertit eorumque auxilium impetravit. Qui cum monasterium suum et ecclesiam in civitate illa sitam recuperavissent⁶³, religionis catholicae in tota provincia restauratores effecti sunt multosque ad Ecclesiam iterum converterunt.

Omnia haec non potuerunt certo in obeundo nuntii apostolici munere Iulii Ruggieri commisso notam aliquam non imprimere, immo molem negotiorum, quae ei propterea expedienda atque conficienda erant, non parum adauxerunt. Itaque praeter facultatem dispensandi a Sede Apostolica sibi concessam, collationem varii generis licentiarum atque dignitatum⁶⁴, dirimere etiam varios cogebatur casus dubios et controversos, praesertim vero componere debuit controversiam, quae primati Iacobo Uchański cum Nicolao Wolski, episcopo Vladislaviensi, intercedebat⁶⁵. Nuntius praeterea omnibus modis et rationibus, ad quas ei patebat aditus, Sedis Apostolicae iura, libertates, privilegia, quibus more solito in Polonia fruebatur, defendere ac tutari debebat. Imprimis, ad nominationes episcoporum quod attinet, praecipue ei curandum atque vigilandum erat, ut homines digni, Sedi Apostolicae sincere dediti et veneno "novitatum" non infecti, eligerentur⁶⁶. Sedulo etiam curare tenebatur, ut iure statuta denarii S. Petri⁶⁷ et annatarum⁶⁸ solutio statis temporibus fieret, bona autem et res Ecclesiae propriae diligenter defenderentur protegerenturque⁶⁹.

Legatio Iulii Ruggieri in Polonia non satis tamen ex sententia processit, neque a Sede Apostolica speratum habuit effectum. Cuius rei testes esse

⁶² Vide N. 52, A. 4, 15.

⁶³ Cfr. N. 65, 68, 71, 74, 90, R. 1, cap. X; 3.

⁶⁴ Quae ad ordines sacros accipiendos (cfr. N. 19), ad contrahenda matrimonia (cfr. N. 58, 59, 73), ad canonicatus conferendos (vide N. 16, 86, 95), ad concedendam absolutionem ab haeresibus (cfr. N. 61, 65, 68, 73, R.3) spectabant.

⁶⁵ Vide N. 13, 17, 24-29, 31, 38-42, 44-48, 57, A. 3, 5, 9. Praeterea nuntius interesse debebat in dirimendis controversiis de coadiutoria Varmiensi (cfr. N. 33, 39, 57, A. 9) et canonicatibus vacantibus intercedentibus (cfr. N. 62), necnon in componendis contentionibus, quae inter episcopum Cracoviensem et patres mendicantes intercedebant (cfr. N. 35, 36, 60, 62, 64, 67, 68), et quae nepoti episcopi Posnaniensis cum archidiacono Posnaniensi de canonicatu Cracoviensi erant (cfr. N. 39, 43, 59, 62, 66).

⁶⁶ Summis pontificibus magnae sollicitudinis erat negotium cum provisione episcopatus Kioviensis coniunctum. Nominatus enim a Sigismundo Augusto Nicolaus Pac sacris ordinibus carebat, inter apertos hostes Ecclesiae numerabatur, nihilominus proventus ex episcopatu percipiebat. Ruggieri tamen, licet maxime conatus sit, negotium hoc ex sententia conficere non potuit (cfr. N. 4, 39, 65, A. 20). De timoribus cum Stanislai Karnkowski ad episcopatum Vladislaviensem promotione initio conceptis et de favore ei postea a nuntio tributo vide N. 53, 56, 57, 61, 63-67, 71, 72, 77, 80, 91, A. 10, 14.

⁶⁷ Cfr. N. 65, 84, R. 1 cap. XII.

⁶⁸ Cfr. N. 66, 67, 83, R. 1 cap. XVII, A. 16.

⁶⁹ Cfr. N. 57, 70.

possunt instructiones successori eius in nuntiatura Polona, Vincentio Dal Portico, datae, quae omnia fere capita instructionis, ad usum Iulii Ruggieri apparatus, in se continent⁷⁰. Ipse vero, quamquam non omnia ei in explendo munere infeliciter ceciderunt, sententiam de provincia sibi a Sede Apostolica concedita non mutavit. Non potuit enim neque voluit se nuntium esse in Polonia, regione ab Italia tam remota, ullo modo agnoscere. Neque unquam cogitavit, praedecessoribus suis hac in parte non dissimilis, se diutius ibi moraturum fuisse. Quamobrem iam paucis mensibus elapsis, postquam Italia discesserat, ad cardinalem Gulielmum Sirleto scribebat petens, ut se ex Polonia revocari curaret⁷¹. Quod desiderium discedendi et in Italiam redeundi processu temporis etiam augebatur⁷². Quamobrem 15 XI 1567 in eius locum successor nominatus est Vincentius Dal Portico⁷³. De qua nominatione Stanislaus Hosius mensibus Ianuario et Februario a. 1568 Martinum Cromerum per litteras faciebat certior⁷⁴.

Itaque postquam solutae sunt nives, paulo post 15 III 1568 nuntius noster Cracovia discessit et iter in Italiam ingressus est⁷⁵. Post multas vero angustias et incommoda (latrocinium etiam in itinere passus est) tandem medio mense Iunio eiusdem anni Romam pervenit⁷⁶. In litteris ad Carolum Borromeum, 24 VII datis, scripsit se vehementer cupere in abbatiam suam, in montibus prope Urbinum sitam, demigrare et iam veniam ex Urbe discedendi exspectare⁷⁷. Eum Lamulis iam certo a 26 IX commoratum esse litterae eius ad cardinalem Gulielmum Sirleto inde scriptae manifesto testantur⁷⁸.

Legatione sua in Polonia expleta, Ruggieri amplam et accuratam relationem summo pontifici Pio V obtulit. Quae, instar relationum Venetarum scripta, diligentem Regni Poloniae descriptionem, auctoris non vulgaris perspicacitatis ingenii acuminis testimonium, continet⁷⁹.

⁷⁰ Vide AV, Misc. Arm. II, ms. 82, f. 447r-478v, 488r-493r et Glemma ZWP, p. 273-288.

⁷¹ Epistula 4 XI 1566 Braunsberga data, vide N. 23.

⁷² Epistula ad Hieronymum Sirleto, 10 IV 1567 data, vide N. 55.

⁷³ Vide AV, Arm. 44, ms. 13 f. 75v-76r.

⁷⁴ Stanislaus Hosius ad Martinum Cromerum 9 I 1568 scribebat: "Cum Nuntio bene tibi convenire gaudeo. Sed eum revocari scribit Card. I.F. Commendonus" (autogr. Kraków, BJ, ms. 60 III p. 1015) et 22 II 1568: "De nuntii revocatione scripsit mihi Commendonus, quod ego consilium approbavi" (autogr. ibidem, ms. 60 I p. 103).

⁷⁵ Vide epistolam Hosii ad Cromerum 15 III 1568 datam (autogr. Kraków, BCz, ms. 1608 IV p. 379).

⁷⁶ Vide epistolam Pauli Zajączkowski ad Hosium 19 VI 1568 datam (autogr. Kraków, BCz, ms. 1608 IV p. 379).

⁷⁷ Vide autogr. Mediolani, BA, ms. F 113 inf., f. 296r.

⁷⁸ Vide N. 97.

⁷⁹ Vide R. 1.

In solitudine et recessu abbatiae Lamulensis Ruggieri sese totum studio theologiae dedere statuit⁸⁰. Sedi tamen Apostolicae toto pectore adductus, rerum usu ac peritia, in explendo munere suo in Polonia comparata, ei inservire non desiit. A. 1571 Pio V desideranti, ut Polonia societati armorum contra Turcas instituendae se adiungeret, scriptam orationem suam porrexit, in qua - rebus penitus perspectis - modos ac rationes monstravit, quibus Poloni ad commune bellum adversus christiani nominis hostes Turcas incitari et adduci possent⁸¹. Post mortem etiam Pii V Curia Romana Iulii Ruggieri rerum Polonicarum peritia atque experientia non semel usa est⁸².

Nuntius tamen noster de Ecclesia sui temporis optime meritus est duorum operum theologicorum editione, quorum alterum "Opuscula theologica", alterum "Opuscula tria" inscribitur. Quae instar theologiae positivae, quae tunc in morem venire coeperat, conscripta, Gregorio XIII pontifici maximo dedicata sunt⁸³ et non mediocrem auctoris eruditionem ac praestantissimum in scribendo ingenium, a viris doctis historiae theologiae studiosis (ex.gr. ab Antonio Possevino) non semel collaudatum, iterum testantur⁸⁴. Aliquot annis post eorum editionem exactis, die 20 VII a. 1587, Ruggieri diem suum obivit supremum. Sepulturae locus remanet ignotus⁸⁵.

2. De scriptis ad nuntiaturam Iulii Ruggieri pertinentibus

Primi conatus colligendorum et ordinandorum fontium, ad illustrandam legationem Iulii Ruggieri in Polonia expletam pertinentium, iam dudum capti sunt, et quidem ab huiusmodi investigationis praecursore, Iosepho Garampi, qui historiae nuntiaturae Polonae explorandae omnino operam dabat⁸⁶

⁸⁰ Cfr. epistulas ab eo ad card. Tolomaeum Gallium 26 VI (AV, Lett.Principi 37 f. 459r) et cardinalis responsum 11 VII 1573 (AV, Lett.Principi 38 f. 205r) datas et litteras ad card. Gulielmum Sirleto, 28 VII 1580 scriptas (autogr. BV, Vat.Lat. 6182 II f. 585r).

⁸¹ Vide R. 2.

⁸² Vide R. 3, 4. Cfr. etiam epistolam card. Gulielmi Sirleto ad card. Tolomaeum Gallium, 22 IX 1583 datam (BV, Vat.Lat. 6946 f. 378r-v).

⁸³ *Opuscula theologica... Quorum inscriptiones et argumenta posterior pagina indicabit*, Venetiis apud Franciscum Zilletum, 1581; *Opuscula tria: De Scripturae Sacrae obscuritate atque eiusdem interpretatione, De universo Dei Verbo, De Verbo Dei tradito*, Romae, ex typ. Vincentii Accolti, 1583. Exemplaria horum operum Ruggieri card. Carolo Borromeo misit, quod litterae eiusdem Ruggieri ad Borromeum, 12 VIII 1581 Venetiis datae (autogr. Milano, BA, ms. F 53 inf., f. 402r), et gratiarum actiones cardinalis a. 1581 (min. sine mense et die, Milano, BA, ms. P 21 inf., f. 667r) et 1583 (sine mense et die, Milano, BA, P 23 inf., f. 205v) scriptae, testantur.

⁸⁴ Bonamicus, p. 90, 249. Cfr. Antonii Possevini, *Apparatus sacer ad scriptores Veteris et Novi Testamenti*, Venetiis, 1606 p. 989-990.

⁸⁵ Vide Mercati, p. 13.

⁸⁶ Vide eius *Synopsim*, f. 68r-68ar.

Onus tamen atque munus elaborandae et apparandae editionis actorum et commercii epistularum huius nuntii, mandatu Academiae Scientiarum Cracoviensis, sacerdos Thaddaeus Glemma suscepit, qui propterea inde a mense Ianuario usque ad Aprilem a. 1934 in Tabulario et Bibliotheca Vaticanis scripta et documenta ad nuntiaturas Iulii Ruggieri et Vincentii Dal Portico praecipue spectantia colligebat. Anno autem 1937, cum iterum Romam venisset, a Februario usque ad Iunium in iisdem Tabulario et Bibliotheca Vaticanis et in Archivo Romano Societatis Iesu, deinde etiam Florentiae in tabulario familiae Graziani et Vindobonae in Tabulario Status Austriaco, res hucusque collectas integrandas et explendas curabat. Primo autem vere a. 1939 denuo Romam profectus est, ut factis necessariis supplementis et additionibus parandae editioni extremam manum tandem imponeret⁸⁷.

Interea Glemma, ut documenta iam alias collecta locupletaret et compleret, rerum in tabulariis quoque et bibliothecis Polonis servatarum, scil. in Archivo Capituli Cathedralis Cracoviensis in colle Wawel, in Bibliotheca Czartorysciana et Universitatis Jagellonicae Cracoviae et in Archivo Dioecesano Varmiensi Frauenburgi, explorationem non neglegebat. Qua diligenter peracta, Glemma sibi omnino persuasum habuit se iam omnia acta et scripta, ad nuntiaturam Iulii Ruggieri pertinentia, quae ad dies nostros asservata essent et ad quae sibi pateret aditus, perlustrasse, investigasse et collegisse⁸⁸.

Finito autem altero omnium gentium bello, rebus omnibus in Polonia vehementer perturbatis, cum praesertim novorum rei publicae moderatorum animus ab exploranda historia relationum inter Ecclesiam et rem publicam intercedentium omnino fuerit alienus, nullo pacto fieri potuit, ut Glemma, post annum 1945, ad investigandas et inquirendas nuntiaturas aliquando reverteretur. Quamobrem a. 1953 omnia scripta et documenta ab eo collecta primum Instituto Servandis Documentis praeposito penes Academiam Scientiarum Polonam Cracoviae tradita sunt, postea vero - cum Thecis Romanis, quas vocant, coniuncta - in Bibliothecam eiusdem Academiae Scientiarum translata, ibidem ad nostros usque dies custodiuntur⁸⁹.

Scripta ad nuntiaturam Iulii Ruggieri attinentia in duabus thecis collocata sunt:

- quarum prima, sig. BPAN 8503, pp. 385, "Glemma I" signata, continet apographa ab ipso Glemma confecta (rarius alia manu scripta) et apographa prelo dactylographico exarata epistularum a nuntio nostro ad alios et ab aliis ad nuntium vel de nuntio scriptarum, necnon apographa relationis finalis et scriptae orationis ("Discorso") Pio V oblatae. Omnia docu-

⁸⁷ Wojtyska ANPI, p. 152.

⁸⁸ Ibidem.

⁸⁹ Ibidem, p. 153.

menta, servato temporis ordine disposita, correctionum vestigia exhibent. Inscriptiones et apparatus criticus, quem vocant, machinula scriptoria exarata sunt;

- altera, sig. BPAN 8504, pp. 329, "Glemma II" signata, continet apographa et res varias in solutis chartulis et schedulis annotatas, vel in paginulis ope lucis impressis, vulgo "photocopiis" appellatis, exaratas. Hae annotationes et apographa manu Thaddaei Glemma (rarius machinula scriptoria) confecta, multas exhibent emendationes et lituras, continent etiam solutos commentarios ad vitam et nuntiaturam Iulii Ruggieri pertinentes. Magnam partem huius thecae efficiunt apographa seu descriptiones epistularum a nuntio ad alias personas vel ab aliis ad nuntium datarum; sunt etiam descriptae epistulae aliarum personarum, nuntii personam quodammodo attingentes, et comparationes variorum exemplarium eius relationis finalis. Omnia huiusmodi scripta ad accuratam et diligentem elaborationem documentorum in prima theca collocatorum utilia fuisse videntur.

Documenta a Glemma collecta adeo completa visa sunt, ut Institutum Historicum Polonicum Romae, cum a. 1986 acta nuntiaturae Poloniae edendi consilium iniisset, opus ab illo inceptum ad finem perducere constituerit. Quae cum ita se res habuerit, munus, quod mihi commissum est, in hoc praecipue constitit, ut scripta a Glemma collecta et in apographis relictis cum originalibus conferrem et investigationem eius, tam in Vaticano quam aliis in locis, quae ipse nunquam adiit (ut sunt Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensis et Bibliotheca Academiae Scientiarum Poloniae Kornicensis), in quantum fieri posset, supplerem et perficerem.

Peracta igitur huiusmodi inquisitione atque investigatione additicia, res aliquot novas reperire potui, ad primam praesertim nuntiaturae Iulii Ruggieri partem spectantes, ad quam Glemma nulla collegit litterarum monumenta. Restabat, ut apparatus, quem vocant, criticus concordaretur cum normis in instructione ad editionem Actorum Nuntiaturae Poloniae statutis, a quibus textus a Glemma curati non parum dissentiebant. Quamobrem omnis generis commentarii et notae longiores abbreviandae erant, relictis tamen intactis pretiosioribus fragmentis documentorum textum principalem illustrantibus. Ex multis tertiorum epistulis, a Glemma cogitatae editioni suae inserendis, eae solum, quae de nuntio nostro directe tractant, in textu principali relictae sunt, ceteris in Appendicem translatis vel, si minoris momenti esse videbantur, aut in aliis editionibus aditu faciles erant, omnino remotis.

His omnibus patrat, exploratis etiam tabulariis et bibliothecis a Glemma non perquisitis, clare apparuit scripta ad nuntiaturam Iulii Ruggieri collecta magna ex parte imperfecta fuisse. Desiderabantur imprimis in eis omnino epistulae nuntii ad cardinalem Michaellem Bonelli, secretarius Pii V tunc temporis praefectum, datae. Tabularium enim huius car-

dinalis prorsus deperit. Neque servata sunt eius acta in vetusto familiae Bonelli tabulario in villa "Le Selve" dicta, non procul a Signo in Etruria sita⁹⁰. Similiter quoque, licet accuratae investigationes peractae sint, i.a. in archivo dioecetano Sancti Angeli in Vado, nullae repertae sunt epistulae vel alia scripta, ad nuntium Ruggieri eo tempore missa, quo munere suo in Polonia fungebatur. De quorum amissione iam Ludovicus Boratyński que-rebatur, qui - opinionem Philippi Bonamico (qui saec. XVIII vixit) hac in parte secutus - asseverabat huiusmodi scripta in bibliotheca cardinalis Marii Marefuschii deposita esse⁹¹.

Neque servatum est, paucis epistulis exceptis, litterarum commercium, quod nuntio nostro cum rege, proceribus et episcopis Polonis interce-debat.

Sic stantibus rebus, huius editionis fundamentum sunt minutae epistularum cardinalis Bonelli ad Iulium Ruggieri datarum, quae in Tabulario Vaticano, in sectione Nunziatura di Polonia 1, servantur (volumen membrana ligatum, in dorso inscriptione instructum: "3. Polonia, dal 1567 al 72 Mr Portico Nuntio al Card. Rustico", in quo in foliis 2r-70v inveniuntur concepta supradictarum epistularum, a 4 I ad 27 XII 1567 a. datarum; reliquam voluminis partem occupat litterarum commercium Vincentii Dal Portico). Ut ergo videre possumus, ne hoc quidem unicum documentorum corpus, ad legationem Iulii Ruggieri spectantium, completum et perfectum dici potest. Desunt enim in eo epistulae ad totum primum annum nuntiatu-
rae eius pertinentes.

Ad nostros usque dies feliciter servata est, in conceptis et apographis, utraque instructio ad usum nuntii nostri praeparata. Quarum altera, haud dubie manu cardinalis Morone exarata, in Tabulario Vaticano, Arm.64, ms. 29, f. 46r-v, custoditur. Altera, postquam nominatio nuntii a Pio V confirmata erat, conscripta, invenitur in collectione minutarum et exemplarium variarum instructionum, quae praesertim sub pontificatu Pii V scrip-tae sunt Ruggerio datae. Haec collectio servatur in Tabulario Vaticano, Misc.Arm. 2, ms. 82 (instructiones, inter quas inveniuntur etiam duae magni momenti instructiones supplementares, Iulio Ruggieri datae in ma-teria synodi provincialis et de modo agendi cum Andrea Dudith apostata in f. 195r-208v, 211r-219r, 267r-270v et 474r-482r legi possunt).

Asservate sunt etiam integrae minutae vel registra facultatum, bre-vium, quibus nuntius variis personis commendabatur, et brevium ad varia negotia, quae ei expedienda erant, pertinentium. Quae omnia in collectio-nibus similium documentorum in Arm. 42, ms. 25 (f. 336r-342r, 576r-v) et ms. 26 (f. 185r) et in Arm.44, ms. 7 (f. 83r, 93r) et ms. 12 (f. 87r-v) inve-niuntur.

⁹⁰ Vide Pastor GP VIII, p. 57.

⁹¹ Vide Boratyński, p. XI; cfr. Bonamicus, p. 350.

Singulae tantum epistulae Iulii Ruggieri reperiri possunt in collectionibus litterarum commercii illorum cardinalium, qui nuntiaturae eius patrocinati sunt: Caroli Borromei in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani (BA, ms. F. 106 inf. f. 498r-v, 514r-v), Ioannis Morone in Tabulario Vaticano (Concilio di Trento 33 f. 138 f. 138r-v) et Gulielmi Sirleto in Bibliotheca Vaticana (Vat.Lat. 6182, pars I f. 151r, 301r-v, et 6189, pars II f. 377r, 403r).

Singula registra epistularum Francisci Borgia ad Ruggieri datarum servantur in Archivo Romano Societatis Iesu (ARSI, Germania 107 f. 5r-v) et nuntii Vindobonensis Melchioris Biglia in Bibliotheca Ambrosiana (Collezione Trotti 22 f. 23r).

Accurata tamen inquisitio, quam in Tabulario Vindobonensi (Haus-, Hof- und Staatsarchiv) fecimus, speratos non attulit fructus, praeter paucas epistulas, quibus Ruggieri Maximiliano II imperatori commendabatur (Röm.Hofkorrespondenz 4, fasc. 5 f. 74; Röm.Correspondenz 30, f. 181r).

Paulo meliorem exitum habuit ante alterum omnium gentium bellum a Glemma peracta exploratio in Archivo Dioecetano Frauenburgensi, quam supplere conatus sum, postquam hoc tabularium iam Olstinium translatum erat (nunc Archivum Dioeceseos Varmiensis Olstinii nuncupatum), ubi una cum litterarum commercio cardinalis Stanislai Hosii servantur aliquot epistulae, in quibus nuntii nostri mentio aliqua facta est, vel quae ad eum ab Hosio una cum aliis scriptae sunt. Quae sunt epistulae primatis Iacobi Uchański (D 26 f. 23r), episcopi Nicolai Wolski (D 13 f. 18r-20v, 95r-96r; D 33 f. 80r-v), episcopi Andreae Noskowski (D 70 f. 349r-349v). Exstat praeterea unicum ad nostros usque dies servatum documentum, sigillo Iulii Ruggieri signatum (D 64 f. 24r-25r).

Plures eiusmodi epistulae primatis Uchański, Hosio et nuntio iunctim inscriptae, servatae sunt in aliis collectionibus commercii litterarum Hosii, in Bibliotheca Czartorysciana Cracoviensi custoditis (ms. 1607-1609).

Pretiosam sane collectionem responsorum (in minutis) ad epistulas Hosio et nuntio iunctim inscriptas, praesertim vero epistularum Hosii ad nuntium datarum, efficit ms. 160 Bibliothecae Jagellonicae Cracoviensis, scil. eius fasciculi 14, 15, 17, 18. Quae omnes epistulae non obscure indicant inceptorem seu auctorem litterarum, a cardinali et nuntio nostro iunctim datarum, cardinalem Stanislaum Hosium fuisse.

In Archivo Capituli Cathedralis Cracoviensis servantur magni momenti exempla documentorum, tempora legationis Iulii Ruggieri comprehendentium, quae cum executione concessarum ei facultatum nuntii coniuncta sunt et ad licentiam ab eo Erasmo Mielniński datam accipiendi ordines sacros et ad processum informativum Stanislai Karnkowski, ad episcopatum Vladislaviensem promoti, spectant (Libri Archivi, ms. 6 p. 6-10, 116-117).

In Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae Kornicensi, in ms. 252, reperiri potuerunt duae, Thaddaeo Glemma prorsus ignotae, epistulae nuntii ad regem Sigismundum Augustum a. 1567 datae (f. 126r, 127r).

Commercium epistularum Iulii Ruggieri in minima tantum parte iam publicatum est. Itaque Iacobus Laderchi a. 1728 et Augustinus Theiner a. 1861 publici iuris fecerunt unum idemque breve pontificium ad nuntium nostrum datum; a. 1842 Sebastianus Ciampi in lucem prodidit fragmentum instructionis ad secundam legationem pertinentis; a. 1858 Vladislaus Kulczycki divulgavit aliud fragmentum eiusdem instructionis; a. 1864 Erasmus Rykaczewski edidit duas epistulas Iulii Ruggieri ad cardinalem Gulielmum Sirleto scriptas. Maximum tamen numerum epistularum, ad nuntiaturam Iulii Ruggieri pertinentium, a. 1890-1892 publicavit Theodorus Wierzbowski, qui in suis "Uchanscianis" collocavit omnes, quae servatae sunt, epistulas Iacobi Uchański ad Hosium et nuntium nostrum iunctim datas et epistulas ipsorum communes ad primatem scriptas, etiam binas litteras cardinalis Michaelis Bonelli ad nuntium et unas Iacobi Uchański ad Hosium missas. Ignatius Philippus Dengel, cum a. 1926 commercium litterarum Melchioris Biglia publicasset, divulgavit etiam fragmentum litterarum illius nuntii ad Iulium Ruggieri datarum. Glemma autem, occasione parandae editionis suae, in commentario "De recuperato monasterio Dominicanorum Gedanensium" in appendice edidit tres epistulas ad negotium istud spectantes. Unica, quae reperta est, instructio, ad primam legationem Iulii Ruggieri pertinens, a. 1984 a Carolina Lancorońska publici iuris facta est⁹².

Aliam prorsus fortunam habuit relatio finalis, a nuntio nostro post suum a. 1568 Romam reditum conscripta. Quae ex omnibus relationibus nuntiorum de Polonia compositis haud dubie est una ex primis et anti-quissimis, amplissimis simul et optime notis. Tam enim accurate et diligenter, tam perspicaciter et tanto iudicii acumine scripta est, ut facile ex ea conspiciere possimus eximiam et excellentem apud nuntium nostrum rerum Polonicarum notitiam et experientiam, quae diligenti et attenta lectione *Annalium* Dlugossii et *Chronicae* Cromeri abunde aucta et locupletata esse videtur. Ad talem scientiam a nuntio nostro sibi comparandam non parum fortassis contulit etiam vis illa attrahendi, quam saeculo XVI res Polonae in homines Occidentalis et Meridionalis Europae mirum in modum exercebant. Ea certe de causa iam exeunte saeculo XVI et subsequentibus tot facta sunt huius relationis apographa, textus tamen originalis ab ipso Ruggieri confectus nullo pacto reperiri potuit.

Thaddaeus Glemma omnium vetustissimum, perfectissimum et originali proximum esse agnovit exemplar, quod olim in Bibliotheca Ducali

⁹² Vide "Opera in quibus scripta ad nuntiaturam Iulii Ruggieri spectantia publicata sunt" (p. XXVIII).

Urbinatensi servabatur, nunc autem in Bibliotheca Apostolica Vaticana (codex Urbinatensis Latinus 823, pars 2 f. 247r-356v) custoditur, una cum variis relationibus contemporaneis eadem manu exaratis ibi collocatum. Quod forte eo explicari potest, quod Ruggieri postremis vitae suae annis in abbazia sua Lamulensi prope Urbinum degit.

Quo exemplari non peius esse videtur apographum posterius, in Tabulario Vaticano, Misc.Arm. 2, ms. 115 f. 21r-104v, asservatum, res aliquas continens, quae in codice Urbinatensi desiderantur, in quo tamen aliae continentur, quae in Misc.Arm. desunt.

Utrumque hoc exemplar ex anterioribus, secum invicem non coniunctis, apographis vel originalibus, fortassis ab auctore ipso emendatis, confectum est et fuit fundamentum descriptionum posteriorum, de quibus iam dictum est supra. Apographum relationis finalis Iulii Ruggieri, a Thaddaeo Glemma ex codice Urb.Lat. 823 et Misc.Arm. 2, ms. 94 manu propria exscriptum, a me iterum cum his codicibus collatum est et, cum codice Misc.Arm. II 115 et aliis exemplaribus a me repertis comparatum, nonnihil suppletum et locupletatum est.

Relatio finalis nuntii nostri maiorem curiositatem historicorum excitabat quam ipsum epistularum commercium. Eius apographum, exeunte saeculo XVIII a Ioanne Albertrandi confectum, in linguam Polonicam conversum iam a. 1822 a Iuliano Ursino Niemcewicz in fragmentis publici iuris factum est, anno autem 1864, item in versione Polona, ab Erasmo Rykaczewski ex toto est editum. Translatio haec, operi eius *Relacye nuncyuszów apostolskich* (Relationes nuntiorum apostolicorum) inserta, multis locis minus accurata, a variis postea editoribus Polonis saepe atque iterum in fragmentis publicabatur. Minus nota relationis Iulii Ruggieri in idioma Polonicum conversio, ex exemplaribus Florentiae in Bibliotheca Magliabecchiana repertis confecta, fuit translatio a Vladislao Kulczycki a. 1858 divulgata.

Partes apographi a Ioanne Albertrandi confecti, ad Russiam spectantes, a. 1841 publici iuris fecit Alexander Ivanovič Turgenev, quas recentioribus temporibus ex originalibus in Vaticano asservatis etiam Andreas Šeptyckij et Athanasius Welykyj publicaverunt. Fragmenta vero ad Valachiam pertinentia a. 1895 ex codice Parisiensi edidit Nicolaus Iorga; quae autem ad civitatem Gedanensem spectabant, a Thaddaeo Glemma in appendice ad memoratum eius commentarium de recuperatione monasterii Dominicanorum Gedanensium, publicata sunt⁹³.

Iulii Ruggieri opus procul dubio singulare et extra ordinem compositum est eius "Discorso... intorno alli aiuti di Polonia a favore della Ss.ma Lega", circa a. 1571 scriptum, cum Pius V de societate bellica adversus Turcas instituenda cogitaret. Haec oratio, quae disceptatio historica de

⁹³ Vide ibidem.

mutuis rationibus inter Poloniam ex una et Turcas ac Tartaros ex altera parte intercedentibus definiri potest, non est hucusque typis divulgata. Thaddaeus Glemma duo eius apographa feliciter reperire potuit, alterum in Bibliotheca Vaticana (in codice Urb.Lat. 855 f. 326r-348v), alterum in Archivo Vaticano (F. Borghese I 132-136 f. 180r-205v) asservatum, quae huius editionis fundamentum sunt.

Duae breviores relationes Iulii Ruggieri responsa esse videntur ad interrogationes de rebus Poloniae ad eum, nuntium olim in Polonia, a Curia Romana iam post mortem Pii V directae. Relatio de civitate Gedanensi a Glemma edita est⁹⁴.

Hoc volumen perficit et quasi coronat nuntiaturae Iulii Ruggieri investigationem, a Iosepho Garampi olim inchoatam, postea vero ab historicis, Academiae Scientiarum Cracoviensis sodalibus, continuatam. Imprimis tamen comprobatio esse vult operis et conatum beatae memoriae sacerdotis Thaddaei Glemma, cui laborum suorum fructum videre non erat concessum.

Stanislaus Bogaczewicz

Latine vertit Lucianus Olech

⁹⁴ Vide ibidem.

ITINERARIUM IULII RUGGIERI
tempore nuntiaturae Poloniae

- 29 XI 1565 - Roma in Poloniam profectus est (Szorc, p. 605-607).
- 9-12 XII 1565 - substitit Ferrariae, ubi propter mortem Pii V iter interrumpere coactus est (Milano, BA, ms. F 106 inf., f. 498r-v, 514r-v).
- Februario 1566 - Patavii morabatur, ubi secundam legationem suam apparabat (Dengel NBD II/5, p. 95).
- Martio 1566 - Romam revertit, ubi novas litteras credentiales, facultates etc. obtinuit (AV, Arm. 42, ms. 25 f. 336r-342r; Wien, HHStA, Röm. Correspondenz 30, fasc. 1 f. 181r).
- 6 IV 1566 - Roma discessit et iter in Poloniam denuo ingressus est (Kraków, BJ, ms. 60, fasc. 2 p. 819).
- 6 V 1566 - Augustam pervenit, ubi ab imperatore Maximiliano II exceptus est et cum Ioanne F. Commendone colloquia habuit (Dengel NBD II/5 p. 210).
- Ante 5 VI 1566 - venit Cracoviam (Olsztyn, ADWO, D 15 f. 35r).
- 22-23 VI 1566 - Universitatem Cracoviensem visitavit (Wisłocki, 357-358).
- 16 VI-29 VIII 1566 - commoratus est Lublini, ubi Comitia Regni celebrabantur (Olsztyn, ADWO, Ab 2 f. 87r-88r; AV, Conc. Trid. 33 f. 138r-v).
- 20 IX 1566 - transiit per Lovicium et venit Heilsbergam, ubi a card. Stanislao Hosio per aliquot menses hospitio excipiebatur (Roma, ARSI, Germania 147 f. 229r-230r; Olsztyn, ADWO, D 26 f. 28r-v).
- Ante 4 XI 1566 - e manibus Hosii, verisimiliter Braunsbergae, presbyteratus ordines suscepit (BV, Vat. Lat. 6182 I f. 301r-v).
- 27 XI 1566 - Heilsbergae commorabatur (Olsztyn, ADWO, D 64 f. 24r-25r).
- 14-30 I 1567 - iterum Heilsbergae versabatur (Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 14 f. 2r, 4r, 7v).
- 7 III 1567 - erat Heilsbergae (Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 15 f. 3r-4r).
- Ante 23 III 1567 - ex Varmia discessit et Petricoviam, ad Comitia, se contulit (Kraków, BJ, ms. 60 III, p. 971).

- 10 IV 1567 - iam erat Petricoviae et intererat Comitiis (BV, Vat. Lat. 6189 II f. 377r).
Pare anco a Sua Santità che'l predetto Ser.mo Re debba con ogni diligenza, non solo procurare che la sorella sua maritata nel Duca di Fi[n]landia³⁷ si conservi catholica, il che potrà asseguire la Maestà Sua mandando spesso persone ben secure nella religione a visitarla et haver di continuo presso a lei alcun huomo spirituale, ma ancora non scordarsi della sorella sua, moglie dell'Elettor di Brandeburg³⁸, la quale ha Sua Beatitudine non senza gravissimo dolore inteso che a pena può udire quattro messe all'anno et che non ha mai da chi udire una predica né ricevere alcuna consolatione spirituale.

[217r] E' parimente necessario che la Maestà Sua si ricordi che 'l Principe di Transilvania è pur suo nipote³⁹ et, per quanto s'intende, vive a discretionem de pessimi heretici, li quali, oltre che non cessano per farlo quanto alla religione simile a loro, l'hanno indotto ad estinguere in Transilvania ogni disciplina ecclesiastica et occupare li Vescovati con tutte l'entrate delle Chiese.

Di queste cose haverà il Re per la parte sua a render conto a Dio, sendo tenuto per l'età et dignità sua ad havere le sopradette sorelle et nipote in christiana protectione, non altramente che se fosse lor padre, et perché all'offender Dio viene anco in conseguenza il convenir restar sì grande et real sangue presso gli huomini macchiato di quella abominanda infamia che sempre consegirà in questo mondo gli heretici [sic], porrete ogni vostro studio per isvegliare anco in questa parte la Maestà Sua et pregarla a non ricusare di dar così honeste et sante satisfattioni non solo a Sua Beatitudine, ma a tutto il mondo, certificando Sua Maestà parimente, che facendo parimente sapere alla Santità Sua in quali modi lei possa promuovere et aiutare ogni honesto commodo et honore di Sua Maestà et di quel Regno, lo farà volentieri et con ogni sincerità.

Et perché Sua Santità sa quanto non solo sia grande la potenza del Gran Duca di [217v] Moscovia⁴⁰, ma quanto disegni a farsi Re di Polonia, stima sia spediente haver gli occhi alla progressi et disegni suoi. Et perciò non mancarete di vigilare alle pratiche ch'egli haverà in Polonia et di scoprire

³⁶ Revera dispensatio haec concessa erat ad tres annos usque ad diem 1 I 1569. Vide Wierzbowski JU, p.262.

³⁷ Catharina Iagellonica (1526-1583), soror Sigismundi Augusti, a. 1562 desponsata Ioanni III Vasa (1537-1592) duci Finlandiae, Lutherano, qui 1568 factus est rex Sueciae.

³⁸ Hedvigis Iagellonica (1513-1573), quae a. 1535 nupserat Ioachimo II electori Brandenburgensi.

³⁹ Ioannes Sigismundus Zapolya (1540-1571), filius Isabellae, sororis regis Poloniae, et Ioannis Zapolya regis Hungariae; princeps Transilvaniae praetendens ad coronam Hungariae.

⁴⁰ Ioannes (Ivan) IV (1533-1584), magnus dux Moscoviae ab a. 1547.

quanto potrete tutti giornalmente gli acquisti ch' egli potesse fare de gli animi et benevolenza delli principali in quel Regno, procurando fra le altre cose di sapere per via di quelli che si mostreranno suoi partiali, se si potesse sperare ch'egli sinceramente fosse una volta per collegarsi con christiani et disporsi ad aiutar qualche impresa contra il Turco, suo natural nemico.

Occorrendo ancora che si parli d'elegger successore al Ser.mo Re di Polonia, farete ogni diligenza per intender l'inclinatione così del Re, come degli ecclesiastici et secolari che hanno parte nella elezione.

Usarete parimente diligenza per sapere che huomini et per qual causa siano mandati dal Re ad altri Principi et da altri Principi al Re.

Et perché potrete non solo molto meglio, ma con molta più dignità di questa Ss.ma Sede et maggior vostra commodità trattare et eseguire le commissioni vostre stando di continuo dove sta la Maestà del Re che lontano dalla Corte, vi consiglierete anco sopra il particolare della [218r] vostra residenza in Corte col Rev.mo Commendone, governandovi secondo il prudente ricordo suo. Et quando per alcuna causa non possiate esser sempre in Corte, conoscendosi che la visita fatta dal Rev.mo Commendone a diversi Prelati et capitoli di quel Regno è stata di gran consolatione et edificatione alli populi et alli istessi ecclesiastici, potrete fare le medesime visite, ma con dignità vostra e per portar loro giovamento, senza intentione alcuna di vostro interesse.

Sopra tutto vigilerete all'attioni et andamenti delli Prelati et Clero di tutto quel Regno, industriandovi d'havere in Polonia Maggiore et Minore, in Lithuania, in Massovia, in Prussia et in quella parte di Pomerania ch'è sotto al Re, huomini che vi avisino di come giornalmente passino le cose et più agevolmente si possa obviare a gli inconvenienti, essendo solecito in contener, quanto si potrà, ognuno in offitio et havendo sempre davanti gli occhi come sete mandato in quel Regno a fine precipuamente di conservare et ampliare la fede Catholica, et non lasciar pur pensare, non che sperare, ad alcuna novità, quantunque minima, in cose di Religione, riti o ceremonie ecclesiastiche, et in somma per procurare con ogni diligenza l'osservanza delli decreti del Concilio.

[218v] Et perché in civitatibus Leopoliensi, Presminensi⁴¹, Luceoriensi, Wilnensi^{e)} et in oppido etiam Polosco⁴², vi sono Vescovi Greci, soliti d'esser confirmati dal Patriarca Constantinopolitano, intendendo che fra questi regnano varie antiche, dannate et abominande heresie, pigliarete consiglio dalli Rev.mi Varmiense et Commendone et Cromero ancora, di come potessero quelli miseri essere in qualche parte aiutati.

Et perché, doppo che'l Ser.mo Re di Polonia è entrato in Livonia, si veggono talmente estinti l'Arcivescovato di Riga⁴³ et altri opulenti et antichi Vescovati ch'erano in quella Provincia, et che quel Popolo resta in preda a gli He-

⁴¹ Recte: Premisliensi.

⁴² Połock.

⁴³ A. 1566 suppressus.

retici, porrete ogni studio, col indirizzo et consiglio delli predetti Rev.mi, per commovere l'animo del Re et indurlo a fare in quelle Provincie tutte le buone et christiane provisioni che a Re veramente Catholico et zelante dell'honor di Dio si convengono.

Non lasciate anco di tener avisata con gran diligentia Sua Santità di tutti gli huomini, tanto gran Signori, quanto gran literati et atti ad aiutare in quelle parti la fede Catholica, verso li quali Sua Santità potesse mostrare la benignità et liberalità sua, perché la farà con ogni charità.

[219r] Perché il Rev.mo Commendone accenna che il Re sia per chiedere la comunione sub utraque et il connubio delli Sacerdoti, farete ogni diligentia per rimuovere Sua Maestà da queste petitioni con l'esempio dell'una del poco profitto, ch'è seguito in alcuni luoghi della casa d'Austria⁴⁴, et con le ragioni nell'altra che si mandano al Rev.mo Legato⁴⁵, rissolvendo Sua Maestà, come più volte s'è detto, che N.ro Signore non vuol concedere innovatione alcuna, né de riti né de ceremonie.

Sua Santità è informata che nel Regno è il Signor Pietro Barzi⁴⁶, huomo Catholico et di tanta authorità che può far molto servitio alla fede Catholica et all'ordine ecclesiastico. Perciò tenerete gran conto di lui, valendovi del poter suo al benefitio publico et tenendolo bene edificato della buona volontà di Nostro Signore verso lui per la constantia sua nella Religione.

a) *In min. II sequuntur verba:* di Pio IV

b-b) *In min. II:* sacra scrittura

c-c) *Deest in min. II.*

d) *In omnibus manuscriptis erronee:* Pomerania

e) *In min. I sequitur expunctum:* et Chiovensi

N. 5.

Pius V, pontifex maximus Sigismundo Augusto, regi Poloniae

Romae, 2 III 1566.

Magister Iulius Ruggieri, notarius apostolicus, ad officium nuntii denuo delectus, regi commendatur.

Reg.: AV, Arm. 44, ms.18 f. 119r, cum inscriptione: "Char.mo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Regi Poloniae Illustri".

Min.: London, BM, Additional 26865 p. 65.

⁴⁴ A Pio IV a. 1564 concessa, petentibus Ferdinando I imperatore et Alberto V duce Bavariae.

⁴⁵ Ioannes F. Commendone.

⁴⁶ Petrus Barzi († 1569) a. 1557 factus est secretarius regis, a. 1558 capitaneus Leopoliensis, a. 1562 castellanus Premisliensis, qui brevi post missus est nuntius regius ad praestandam oboedientiam summo pontifici, Roma a. 1567 legatus in Hispanias profecturus. Vide epistulas Sigismundi Augusti regis ad Pium V de die 10 III 1566 (or. AV, Lett. Principi 31 f. 359v-360r).

Char.me in Christo fili noster *etc.*

Dilectum filium, Magistrum Iulium Rogerium, Notarium nostrum, iam a felicis recordationis Pio Papa IIII, praedecessore nostro, ad Maiestatem Tuam Nuncium destinatum⁴⁷, propter egregiam probitatem ac virtutem suam literarumque scientiam nobis valde acceptum, ad idem officium delegimus, mandavimusque ei, ut maneat apud te noster et Sedis Apostolicae nuntius et paternum tibi amorem nostrum et debitam rerum tuarum ac salutis populorum regni tui curam et sollicitudinem quibuscunque poterit officiis repraesentet. Eum ut pro Sedis Apostolicae reverentia benigne excipias et de rebus omnibus, de quibus hoc tempore et in posterum nostro nomine aget, fidem ei ut habeas, perinde ac si nos ipsos audires, Maiestatem Tuam rogamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 2 Martii 1566, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Ant[oni]s Florebellus Lavellinus⁴⁸

N. 6.

Pius V, pontifex maximus
Catharinae, reginae Poloniae

[Romae, 2 III 1566].

Petit, ut Iulio Ruggieri, nuntio apostolico, fidem tribuat.

Reg.: AV, Arm.44, ms 18 f. 119r, cum inscriptione: "Char.mae in Christo filiae nostrae Catherinae Reginae Poloniae Illustri".

Charissima in Christo filia nostra, salutem *etc.*

Dilectum hunc filium, Magistrum Iulium Rogerium, Notarium nostrum, nobis valde acceptum et probatum, misimus nostrum et Sedis Apostolicae Nuncium ad Ser.mum Poloniae Regem, coniugem tuum. Mandavimus autem ei, ut Maiestatem Tuam nostro nomine visat ac debitum eximiae devotioni et pietati tuae paternae nostrae benedictionis officium persolvat. Cuius orationi super his, quae tibi nostro nomine referet, petimus ut fidem habeas, perinde ac si nos ipsos audires. Datum ut supra⁴⁹.

⁴⁷ Cfr. N. 1-3.

⁴⁸ Antonius Fiorebello († 1574), secretarius Pii IV, ab a. 1558 epus Lavellinus (in Italia meridionali).

⁴⁹ Epistula haec invenitur in registro immediate post epistulam N. 5.

N. 7.

Pius V, pontifex maximus
card. Stanislao Hosio

Romae, [2 III 1566].

Petit, ut Iulium Ruggieri in omnibus adiuuet.

Reg.: AV, Arm.44, ms.18 f. 119v, cum inscriptione: "Dilecto filio nostro Stanislao SRE Presbitero Cardinali Varmiensi vocato". In f. 120v annotatio cancellariae: "Martii 1566 Anno Primo Expeditio Magistri Iulii Rogerii Nuncii ad Poloniae Regem missi".

Dilecte filii noster, salutem etc.

Dilectum filium nostrum, Magistrum Iulium Rogerium, Notarium nostrum, nobis ob egregiam probitatem et virtutem suam literarumque scientiam valde acceptum, misimus nostrum et Sedis Apostolicae Nuntium ad Ser.mum Poloniae Regem. Mandavimus autem ei, ut te, si coram non poterit, saltem per litteras nostris verbis peramanter salutet et benedictionem apostolicam impertiat, consilioque et auxilio tuo, cum acciderit ut opus sit, omnibus in rebus, de quibus tractandum erit, nitatur. Cui te, pro singulari tua erga Sanctam hanc Sedem Apostolicam fide ac devotione et pro perpetuo catholicae Religionis zelo, nullo loco defuturum esse certum habemus. Datum etc.⁵⁰

N. 8.

Melchior Biglia, nuntius apud imperatorem
Iulio Ruggieri

Augustae Vindelicorum, 16 III 1566.

Litteras eius, 1 III datas, se accepisse nuntiat. De munere nuntii in Polonia ei, et apud imperatorem aepe Surrentino, collato gaudet. Adventum eius expectat, optimum abbreviatorem suum ei concedit, coquum autem suum ei minus commendat.

⁵⁰ Ut in N. 5. In eodem registro (Arm.44, ms.18 f. 119v-120r) reperiuntur praeterea exempla brevium ad aepum [Gnesnensem, Iacobum Uchański] cum additamento: "Ut pastorali officio tuo et muneri ac loco, quem obtines, maxime convenit" (ex toto editum a Wierzbowski U, I, p. 131-132), ad epos Cracoviensem [Philippum Padniewski] et Posnaniensem [Adamum Konarski], necnon exempla brevium sine nominibus "pro epo", "pro nobili", "pro consiliario".

Reg.: Milano, BA, Coll.Trotti 22 f. 23r.
- Ed.: Dengel NBD II/5, p. 102 (fragmentum).

Al Rev.mo Abbate Rogiero.

L'amorevolissima di V.ra Signoria Rev.ma del primo^{a)} m'è capitata hoggi⁵¹. E la ringratio dell'affettione ch'ella mi mostra portarmi, certificandola che da me è molto bene controcambiata. Io mi rallegro della spedition' sua per la Polonia, perché so quanto giovarà la presentia sua a quella provincia. Et sarà per riportarne gran gloria a lode del Signor Iddio. Io mi contento molto di questo mio stato et son molto contento della santa elezione, fatta da N.ro Signore della persona dell'Arcivescovo di Sorrente [sic] per Nuntio qui a questa Maestà⁵². Io me ne torno volentieri in Italia, sodisfatto in mia conscientia d'haver fatto quanto si conveniva l'honor mio. Et spero di haver a partire tosto che qui sia giunto detto Arcivescovo [*cum in omnibus voluntati summi pontificis obtemperare cupiat*]. In questo mezzo starò co' desiderio aspettando V.ra Signoria Rev.ma. La quale sarà commodata del mio Abbreviatore, huomo di belle lettere et molto ecclesiale et pratico nella sua professione⁵³. Il mio coco non è a proposito per lei, perché ha mal gusto^{b)}. Dio la conservi. D'Augusta, il 16 Marzo 1566.

^{a)} *Sequitur expunctum:* di

^{b)} *Sequitur:* mi

N. 9.

Card. Gulielmus Sirleto
card. Stanislao Hosio

Romae, 26 III 1566.

Silentium suum excusat. Iulium Ruggieri, novum nuntium, tamquam virum sibi amicissimum et doctissimum, valde commendat.

Min. longior: BV, Vat.Lat. 7093 f. 273r (sine dato).

Min. brevior: BV, Vat.Lat. 7093 f. 272v (sine dato).

Cop.: BV, Vat.Lat. 7093 f. 301r (cum dato).

⁵¹ Non invenitur.

⁵² Iulius Pavesi, epus Surrentinus 1558-1571, qui tandem nuntius ad imperatorem Ferdinandum I non est missus.

⁵³ Nescitur, quis fuerit iste abbreviator (notarius).

Misi nuper litteras, Cardinalis optime, quibus excusarem silentium meum⁵⁴, licet exigua vel potius nulla mihi opus esset excusatione, cum tecum agerem, qui animum et observantiam in te meam apertissimis argumentis perspectam habere potuisti, tamen ut aliqua ex parte superioris silentii diurnitatem compensarem, et illas scripsi et has dedi ad te litteras Protonotario Rogerio, viro non minus pietate quam philosophiae et divinarum litterarum peritia insigni, quibus virtutibus adductus Pius VIII nuncium ad Serenissimum Regem Poloniae eum destinarat et eius successor, Pius IX, vere ut nomine ita et re pius, confirmavit. Haec satis esse possent, ut illum, quo tua est in omnes viros bonos et eruditos humanitas, diligeres. Nunc autem accedit eius singularis in te observantia et amicitia non vulgaris, qua mecum coniunctus est. ^(a-Ei δὲ τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ οἱ φίλοι τῶν φίλων^a), quod si amicorum communia omnia, ergo et amici amicorum. Erit igitur hac ratione Protonotarius Rogerius tibi amicus, cum sit mihi amicissimus; non dubito fore, quin cum eius virtutes cognoveris, cognosces autem brevi, sui causa illum charum sis habiturus. Interea commendo unice humanitati tuae virum doctum, pium, tui observantissimum, mihi pernecessarium, et - quod caput est - Summi Pontificis eiusdemque optimi et Apostolicae Sedis Nuncium prudentem atque integerrimum. Bene vale, Cardinalis Clarissime, in Domino. Romae, ^(b-VII Calendas Aprilis 1566^b).

^{a-a)} *In minutis tantum.*

^{b-b)} *In copia tantum.*

⁵⁴ Auctor huius epistolae est Gulielmus Sirleto (1514-1585), custos Bibliothecae Vaticanae, ab a. 1557 protonotarius apostolicus, ab a. 1565 cardinalis. In responsione Stanislaus Hosius scripsit Sirleto ex castro Heilsberga die 1 VII 1566: "Quem vero mihi commendas protonotarium Rogerium, vel hoc solo nomine, quod nuntius est Apostolicus, non possum non plurimi facere. Tanto vero magis eum omni benevolentia complecti cogor, quod prudentissimorum duorum pontificum [Pii IV et Pii V] iudicio dignus est existimatus, cui difficillimis temporibus haec tam dura provincia mandaretur. Ad quorum iudicium tuum quoque cum accesserit, quid est, quod amplius in eo requiri possit? Itaque nullum officii genus esse poterit, quo non libenter eum prosequar, et quidquid erit in me consilii, quod perquam exiguum esse fateor, id cum eo lubens communicabo nec ullum ab eo fidelis et benevolentis amici munus in me desiderari patiar. Est is nunc in comitiis, a quibus ego longius absum. Sed accepi tamen litteras eius amoris in me notis insignes, quibus non minus amanter ipse quoque respondi" (or. BV, Vat.Lat. 6189 II f. 320r). Iulium Ruggieri commendavit etiam card. Christophorus Madruzzo, appellatus Tridentinus (1512-1578, epus Tridentinus a. 1539-1567), in epistula de die 25 III 1566. In epistula ad Stanislaum Hosium scripsit de nuntio, ut de "viro sane probitate, modestia virtute que summa praedito ac digno prorsus, qui a Dominatione V.ra Rev.ma diligatur". Et paulo post "Eum sic ego commendo, ut magis ex animo neminem possim" (or. in Gotha, FB, ms. III. 141. In epistula autem ad Ioannem F. Commendone nuntium dicit esse "gentilhuomo da bene, virtuoso et tanto degno del amor di V.ra Signoria Ill.ma, che giudico superfluo raccomandarglielo" (or. AV, Lett.Principi 25 f. 120r).

N. 10.

**Facultates generales,
a Pio V pontifice maximo
Iulio Ruggieri datae**

Romae, 3 IV 1566.

Concedit ei in Poloniae regno facultates: causas ad forum ecclesiasticum pertinentes decidendi, tabelliones creandi, ad doctoratum et magisterium promovendi, 24 comites palatinos creandi, dispensandi super irregularitatibus, dandi beneficiatis auctoritatem absolvendi a peccatis et votis reservatis; nec non iuramenta relaxandi, legitimandi illegitimos, indulgentias impertiendi, alienandi bona ecclesiastica, poenales litteras concedendi, beneficia simplicia distribuendi, dispensandi cum personis loca pia ultramarina visitare volentibus et cum membris confraternitatum; non obstantibus quibuscumque, decretis Concilii Tridentini exceptis.

Min.: AV, Arm. 42, ms. 25 f. 336r-342r, cum inscriptione: "Dilecto filio magistro Iulio Rugerio, Sedis Apostolicae prothonotario et familiari nostro, apud char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniae regem Ill.em nostro et Apostolicae Sedis cum potestate legati de latere nuntio".

Pius etc. Dilecte fili, salutem etc. Eximia virtus, qua te insignivit Altissimus, et singularis devotio, qua nos et Romanam veneraris Ecclesiam, nec non grata devotionis et familiaritatis obsequia, quae nobis et Apostolicae Sedi hactenus impendisti et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, promerentur, ut te paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedamus, quae virtuti et decori tuo, muneri, quo fungeris, devotius pro praesentium temporum qualitate obeundo, fore conspicimus opportuna.

Hinc est, quod nos, cupientes te, quem nuper, cum tu alias a felicitatis recordationis Pio PP IIII, praedecessore nostro, cum in humanis degeret, ad Char. mum in Christo filium nostrum Sigismundum, Poloniae Regem Ill.em, suus et Sedis Apostolicae Nuntius cum facultate legati de latere destinatus fuisses, ac ipso praedecessore (sicut Domino placuit) postmodum de medio sublato, divina favente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti fuisset, apud dictum Sigismundum Regem nostrum et eiusdem Sedis nuntium confirmavimus et de novo constituimus et deputavimus, ut erga personas in Regno Poloniae commorantes ac familiares continuos commensales tuos tuisque obsequiis insistentes te generosum reddere possis, Discretioni tuae, de qua in his et aliis maioribus plenam in Domino fiduciam habemus, legatione tua huiusmodi durante, spirituales ac profanas et mixtas causas quascumque, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, quae tamen secundum formam Concilii Tridentini in Romana Curia cognosci possint

ac debeant, appellationum quarumcunque a quibusvis ordinariis et a Sede Apostolica delegatis iudicibus interpositarum et dicta durante legatione interponendarum et [337r] summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola veritate inspecta, etiam non observatis terminis substantialibus, sed illorum loco praefixo termino, arbitrio tuo, procedendo per te vel alium, seu alios, audiendi, cognoscendi, decidendi et fine debito terminandi ac aliis, ut praefertur, cum simili aut limitata facultate, etiam cum potestate citandi, etiam sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, aut etiam pecuniariis, tuo vel delegatorum tuorum iudicio moderandis et applicandis, inhi-bendo etiam per edictum publicum constituto, summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, et sequestro iuxta formam Concilii Viennensis⁵⁵ decernendi, audiendi, cognoscendi, determinandi et fine debito terminandi, committendi et delegandi; et personas quascumque adversus quascumque sententias et res iudicatas et contractus in integrum, prout iuris fuerit, restituendas.

Nec non officium tabellionatus quibuscumque personis idoneis, recepto prius ab eis in forma solita iuramento, concedendi, illasque in tabelliones creandi et de notariatus officio huiusmodi investiendo alias iuxta formam in quittando cancellario apostolico^{a)} descriptam.

Ac quoscumque in utroque vel altero iurium et theologia, artibus et medicina et aliis facultatibus, assistentibus duobus vel tribus ex facultate doctoribus seu magistris et eorum votis iuratis ac stante praevio examine, [ad] doctoratum et magisterium ac alios quoscumque gradus promovendi eosque doctores et magistros creandi, ac doctoratus et magisterii aliaque insignia eis exhibendi; ita quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, praerogativis, antelationibus, indultis et honoribus, quibus alii doctores et magistri in universitate, in qua studuerint, creati utuntur, potiuntur et gaudent, pariformiter et absque ulla poenitus differentia (non tamen in assecutione cathedralium ecclesiarum et dignitatum, nec non canonicatum et praebendarum, reqirentibus gradum iuxta illarum foundationem aut decreta Concilii praefati), utantur, potiantur et gaudeant⁵⁶.

Nec non comites palatinos XXIIII creandi, aliorum aulae nostrae Lateranensis palatii comitum palatinorum numero et consortio favorabiliter aggregandi, ita quod omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, honoribus, gratiis, libertatibus, immunitatibus et indultis, quibus alii dictae aulae comites utuntur, potiuntur et gaudent et uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet, in futurum uti, potiri et gaudere libere et habere licite valeant.

Nec non cum patientibus defectum natalium, exceptis tamen casibus prohibitis [338r] a praefato Concilio Tridentino, ac etiam corpore vitiatas,

⁵⁵ Celebrati a. 1311-1312.

⁵⁶ Haec privilegia, a Sede Apostolica officialibus et aliis quibuscumque concessa, creandi doctores, licenciatos et magistros, iam vi bullae Pii V die 1 VI 1568 revocata sunt, vide *Bullarium Romanum* VII, p. 673-674.

dummodo non sit tanta deformitas, quae generet scandalum in populo, ut ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri; ac cum graduatis, ut usque ad centum, cum aliis vero, ut usque ad quinquaginta ducatos aureos de camera valoris antiqui quaecumque beneficia ecclesiastica simplicia, se tamen invicem compatiunt, etiam si canonicatus et praebendas ac dignitates in cathedralibus, etiam metropolitanis vel collegiatis ecclesiis expectant, dummodo tamen dignitates huiusmodi in eisdem cathedralibus post pontificales maiores vel collegiatis ecclesiis huiusmodi principales non sint, obtinere.

Ac etiam cum quibusvis clericis idoneis, in aetate legitima constitutis, promoveri volentibus, ut ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines, a suo ordinario, vel cum eiusdem ordinarii sui aut eius vicarii testimonio, a quocumque maluerint catholico antistite, gratiam et communionem dictae Sedis habente, extra Romanam Curiam residente, quibusvis tribus dominicis vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora iure statuta, dummodo illi competenter beneficiati, et si extra huiusmodi tempora vetati fuerint, promoveri; et in illis sic promoti etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, apostolica auctoritate dispensandi⁵⁷; illis quoque indulgendi de super impedimento iustitiae et publicae honestatis causa; aut cum his, qui per fornicationem vel adulterium se polluerint, dummodo in mortem defuncti quicquam machinati non fuerint, matrimonium ignoranter, etiam carnali copula subsecuta, iam contraxerint, ut [in] ipso, ut praefertur, iam contracto matrimonio remanere, sive illud de novo contrahere et in ipso postmodum etiam remanere libere et licite valeant, dummodo mulier propterea rapta non fuerit, etiam dispensando ac prolem exinde suscipiendam legitimam discernendo.

Ac rectoribus parochialium ecclesiarum aut aliorum beneficiorum dioecesanorum curatorum, si graduati vel alias exemplaris vitae fuerint, per se ipsos tantum, quoscunque suos parrochianos utriusque sexus ab omnibus et singulis eorum peccatis et criminibus in casibus, in quibus ordinarii locorum de iure vel consuetudine absolvere possunt, de ipsorum ordinariorum consensu absolvendi; ac vota quaecumque per eos emissa, ultramarino et visitationis liminum Beatorum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, necnon Sancti Iacobi in Compostella ac castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, similiter indulgendi; nec non quae-

⁵⁷ Hac facultate usus est nuntius in favorem unius ex canonicis capituli cathedralis Cracoviensis, ut notatur in actis huius capituli sub die 26 VI 1567: "Ven.lem dominum Erasmum Mielinski, canonicum Cracoviensem, post primum hunc suum in consessum Capitularem ingressum, de sua ad sacros et presbyteratus ordines promotione [...] vigore indulti rev.mi domini Iulii Rugerii, apostolici in Regno Poloniae legati, de consensu et admissione litterali Rev.mi domini domini Philippi Padniewski, episcopi Cracoviensis, [...] promotum, [...] Rev.mi domini ut talem et pro tali scilicet legitime ordinato Sacerdote habendum ipsum Dominum Erasmum Mielinski et reputandum, ad congressumque suum Capitularem et ad perceptionem omnium distributionum Ecclesiae, quae praesentibus confratribus presbyteris dari solent, capacem et habilem admittendum decreverunt et pronuntiaverunt (Kraków, AKKK, Acta Capitularia, ms. 6 f. 92r); cfr. infra, N. 19.

cumque iuramenta [339r] ad effectum agendi, dumtaxat relaxandi; ac quibusvis personis ecclesiasticis saecularibus, ut leges et iura civilia audire et in illis studere ad quinquennium, nec non quoscunque actus scholasticos exercere et in eis, postquam idonei reperti fuerint, gradus consuetos suscipere possint.

Nec non quoscunque spurios, naturales, bastardos, inausteros, nothos, incestuosos, copulative vel disiunctive, ex quocumque illicito coitu procreatos, viventibus vel etiam mortuis eorum parentibus, legitimandi, ita ut ad paternas et alias successiones quorumcumque bonorum admitti et illis succedere valeant, absque tamen praeiudicio illorum, qui ad paternas^{b)} successiones, si personae, quibus succederent, ab intestato decederent, de iure admitti deberent, ac etiam ad honores, dignitates, gradus et officia saecularia, publica et privata recipi et assumi illaque gerere et exercere possint et debeant, ac si de legitimo matrimonio procreati essent, illosque ad iura naturalia et quoslibet actus legitimos restituendi et reintegrandi; et cum quibusvis clericis et personis ecclesiasticis super quacunque irregularitate, non tamen occasione perceptionis fructuum ecclesiasticorum indebitae, seu homicidii vel haeresis aut criminis laesae maiestatis quomodolibet contracta, etiam dispensandi et ab eis omnem inhabilitatis et infamiae maculam propterea in eos insurgentem, dummodo in contemptum clavium divinis se non immiscuerint, penitus delendi; ac ut [in] irritis per eos susceptis ordinibus continuare et ad alios ordines se promoveri facere et per eos obtenta retinere, ac in futurum sibi canonicè conferenda beneficia recipere licite possint etiam concedendi, et eos a praemissis in utroque foro absolvendi.

Praeterea quibuscumque utriusque sexus personis confessionalia, cum clausula, quod confessores eligantur ex his, qui ab ordinario deputati seu approbati existunt, nec non iuxta formam quinterni Cancellariae Apostolicae et absque altari portatili cum indulto in loco ecclesiastico interdicto supposito, dummodo ipsi causam interdicti non dederint [concedendi]; ac utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui quascunque saeculares vel regulares ecclesias in una anni festivitate duntaxat devote visitaverint, nec non preces ibi Altissimo effuderint, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis poenitentibus, ita quod ad quinquennium durare debeat et [340r] relaxatio huiusmodi non nisi semel pro una ecclesia fieri possit, misericorditer in Domino relaxandi; ac quibusvis personis ecclesiasticis beneficia saecularia vel regularia in titulum vel commendam obtinentibus, conditionem illorum efficere meliorem volentibus, bona immobilia beneficiorum suorum in emphiteusim, etiam personalem, sub annuo canone sine censu, non tamen quinque ducatos excedentia, in evidentem ipsorum beneficiorum utilitatem alienandi licentiam concedendi, vel alienationem ita factam confirmandi, etiam cum iuris et facti defectuum suppletionem; ita tamen, quod concessio seu confirmatio aut totius negotii cognitio loci ordinario vel eius ge-

nerali in spiritualibus vicario ac dignitatem post pontificalem maiorem in ipsa ecclesia cathedrali obtinenti, qui coniunctim procedant, committatur.

Et praeterea quascumque monitorias et poenales literas in forma significari consueta contra occultos et ignotos malefactores et malefacta revelare differentes, servata tamen forma praefati Concilii Tridentini, concedendi; et quaecumque simplicia beneficia ecclesiastica in Regno Poloniae huiusmodi, extra tamen metropolitanam et alias cathedrales et collegiatas ecclesias consistentia, per obitum illorum ultimorum possessorum extra Romanam Curiam vacatura, dummodo illa alias quam ratione mensium apostolicorum reservata non fuerint, et cuiuslibet eorum fructus, redditus et proventus XXIII ducatos auri secundum veram existimationem valoris annuos non excedant, pro tempore vacantia, personis idoneis providendi; ac quibuscumque utriusque sexus personis Sepulchrum Dominicum Hierosolimitanum visitare volentibus, ut ad illud et alia loca pia ultramarina, absque alicuius censurae vel poenae incursu, dummodo aliqua prohibita non deferant; ac ut quadragesimalibus et aliis prohibitis temporibus et diebus carnibus, de utriusque^{c)} medici consilio, uti et vesci libere et licite valeant, concedendi; ac etiam illos, qui in aliqua confraternitate, ut illi confratres stare, seu alias quomodolibet illi astricti et obligati sint, a iuramento per eos praestito absolvendi et liberandi ac cum eis desuper dispensandi; nec non omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi, decernendi, per se vel alium seu alios, auctoritate apostolica, tenore praesentium, licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus.

Non obstantibus praemissis ac litteris piae memoriae Sixti IIII⁵⁸, quibus inter alia cavetur expresse, quod nuntii Sedis^{d)} praefatae pro tempore deputati, etiam cum potestate legati de latere, tam quoad beneficia conferenda, quam dispensandum [341r] et alias gratias per eos concedendas, facultatibus nuntiorum huiusmodi apposite adversus dictas litteras quicquam suffragentur⁵⁹, ac Bonifacii VIII⁶⁰ praedictorum nuntiorum de una, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo quispiam ultra tres dietas ad iudicium non trahatur, ac eiusdem generalis necnon Lateranensis⁶¹ et Viennensis⁶² ac Pictavensis⁶³ et aliorum conciliorum, non tamen Tridentini, et quibusvis aliis apostolicis ac in provincialibus et sinodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus ecclesiarum, monasteriorum, ordinum et collegiorum quorumcunque indulto, constitutione apostolica vel quavis firmitate alia contractis, statutis, ac quibusvis privilegiis et indultis generalibus vel specialibus ac

⁵⁸ Pontifex maximus a. 1471-1484.

⁵⁹ Litterae huius tenoris a studiosis historiae nuntiatorum repertae non sunt.

⁶⁰ Pontifex maximus a. 1294-1303.

⁶¹ Lateranensis III, celebrati a. 1179.

⁶² Celebrati a. 1311-1312.

⁶³ Celebre concilium Pictaviense, a. 1100 celebratum, quod multa decreta de re liturgica et beneficiis edidit.

litteris apostolicis, necnon exemptionibus, libertatibus, immunitatibus supradictis, et quibusvis aliis, etiam mendicantium, ordinibus et regularibus locis eorumque conventibus, superioribus et personis, etiam mari magno et bulla aurea nuncupatis, et aliis cathedralibus, etiam metropolitanis, ecclesiis praefatis eorumque capitulis, personis et aliis quibusvis in genere vel in specie, etiam motu proprio ac consistorialiter concessis, necnon aliis omnibus et singulis, quae praemissis quovis modo obstare videantur, quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus litterarum nostrarum impedire valeant quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in nostris litteris mentio specialis, contrariis quibuscunque; quodque aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetraverint, etiamsi per eos ad inhibitionem, reservationem et decretum vel aliter quomodolibet sit processum, quibus omnibus personis, quibus de beneficiis praefatis providebitur, in eorum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari, seu si aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad emptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint; quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri, per litteras apostolicas non facient plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quamlibet aliam dictae Sedis indulgentiam generalem vel specialem, cuiuscunque tenoris existat, per quam, [342r] praesentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus litterarum tuarum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem litteris mentio specialis.

Verum quia difficile foret praesentes ad varia loca, ubi de illis docendum fuerit, circumferre singulisque tuis litteris super praemissis recedendi, inseri volumus et decernimus [... per impressio]nem^{e)} factis et tuo sigillo munitis ac manu tui secretarii aut regentis cancellariae tuae subscriptis; dictisque litteris tuis, absque earundem praesentium in toto vel in parte insertis, eam ubique fidem in iudicio et extra adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter exhiberentur; quodque in eisdem litteris tuis seu gratiis, vigore praesentium concedendis, has praesentes inserere minime tenearis, ac gratiae praefatae quibusvis per te iuxta tenorem praesentium concessae, valeant ac illis suffragentur in omnibus et per omnia ac si praesentes litterae in eis insertae forent. Volumus autem, quod per praesentes nihil, quod praefato Concilio Tridentino repugnet vel ordinariis locorum in aliquo praeiudicet, tibi concessum censeatur, prout concedere non intendimus.

(f-Datum Romae apud S. Petrum, die 3 Aprilis 1566, anno primo. Expediatur de mandato Ss.mi^o).

- a) *Sequitur expunctum: appositam*
 b) *Supra expunctum: patrias*
 c) *Supra expunctum: alicuius*

- d) *Sequitur expunctum: apostolicae*
 e) *Unus versus propter corrosionem chartae legi non potest.*
 f-^o *Alia manu.*

N. 11

**Card. Zacharias Delfino
 Maximiliano II, imperatori**

Romae, 4 IV 1566.

Iulium Ruggieri, per Augustam Vindellicorum iter suum versus Poloniam facientem, commendat.

Autogr.: Wien, HHStA, Röm.Hofkorrespondenz 4, fasc. 5 f. 74r. In f. 75v inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "Card. Delfinus in commendationem Abbatis Ruggieri, Nuntii ad Poloniam destinati".

Sacra Cesarea Maestà⁶⁴.

Manda Sua Santità per Nuntio al Ser.mo Re di Polonia Mons. l'Abbate Ruggieri, et perché facendo la strada per Augusta baciara le mani a V.ra Maestà Cesarea, non ho potuto mancare di supplicarla che si degni riceverlo con la benignità che suole usare verso tutti li ministri di questa Santa Sede, et a me fare questa gratia di dirle come è stata per mie lettere informata de le virtù et bone qualità sue.

Non havendo per hora altro da scrivere, a V.ra Maestà humilmente mi raccomando et prego da Dio incremento continuo di felicità. Da Roma, li 4 d'Aprile 1566.

Di V.ra Maestà Cesarea

humil.mo Servitore
 Il Card. Delfino⁶⁵

⁶⁴ Maximilianus II Habsburg (1527-1576), rex Romanorum ab a. 1562 et Hungariae ab a. 1564, imperator ab a. 1564.

⁶⁵ Zacharias Delfino († 1584), epus Pharensis, nuntius apostolicus apud imperatorem a. 1554-1556 et 1560-1565, card. ab a. 1565.

Prosper d'Arco
Maximiliano II, imperatori

Romae, 4 IV 1566.

Significat Iulium Ruggieri, iussu pontificis maximi iterum in Poloniam proficiscentem, se imperatori commendari eique devota servitia sua offerri petisse.

Autogr.: Wien, HHStA, Röm.Correspondenz 30, fasc.1 f. 181r. In f. 182v vestigia sigilli et annotatio cancellariae: "Commendatitiae pro Abbate Ruggero Nuntio ad Poloniam destinato" et datum accepti: "14 Mai 1566".

Sacra Cesarea Maestà.

L'Abbate Ruggiero, già destinato Nuntio in Pollonia (come già scrissi alla Maestà V.ra)⁶⁶, sene tornò a Roma, essendo arrivato se non a Trento. Hora el papa vuole ch'egli vada in Pollonia⁶⁷. Et esso è venuto da me et m'ha detto che nel viaggio vuol venire a basciare la mano alla Maestà V.ra, et m'ha pregato che voglia con questa mia rendere testimonianza et far fide alla Maestà V.ra che l'è devotissimo servitore et ch' in quella sua legatione havrà sempre a cuore il servizio della Maestà V.ra non meno di quello di Sua Santità. Et perché io lo credo, per conoscere detto Abbate et protonotario huomo da bene, però lo raccomando alla Maestà V.ra⁶⁸, alla quale humilmente bascio le mani. Di Roma, gli IIII di Aprile MDXXXXXXVI.

Di V.ra Cesarea Maestà

Humil.mo et fidel.mo Servitore
 Prospero conte d'Arco⁶⁹

⁶⁶ Litterae hae non inveniuntur.

⁶⁷ Prosper d'Arco scribebat de hac re in litteris suis 12 I 1566 ad imperatorem, affirmans Pium V cardinalibus in consistorio praesentibus mandasse: "di pensare et consultare gli negotii di Germania et Polonia, dicendo che non voleva revocare l'Abbate Ruggiero, destinato Nuntio in quel Regno, perché l'haveva conosciuto huomo da bene" (autogr. Wien, HHStA, Röm.Correspondenz 30, fasc.1 f. 20v-21r).

⁶⁸ Iulium Ruggieri die 6 IV 1566 Roma discessisse Stanislaus Hosius Martino Cromero scripsit Heilsbergae 9 VI 1566 (autogr. Kraków, BJ 60 II p. 819). Medio mense Maio Augustae Vindelicorum apud card. Ioannem F. Commendone morabatur, qui die 17 V 1566 Stanislao Hosio scribebat: "Exclusa angustia temporis Rev.dus Dominus Nuntius recta Lublinum proficiscitur, constituit autem ex Comitibus recta ad Dominationem V.ram Ill.mam [se conferre]. Ego hortatus sum, ut Cracoviae Cromerum conveniat, quod se facturum pollicetur. Narravi diligenter, quae visa sunt ad rem facere, sed incidit adventus eius Augustum in ipsum aestum horum Comitiorum, cum reiecto Article Religionis magna rursus contentione Haereticorum intruditur. [...] Cum Rev.do Nuntio egi diligenter et pluribus docui, quid agatur istic et qui sint homines" (or. Olsztyn, ADWO, D 24 f. 11r).

⁶⁹ Prosper d'Arco († 1572), orator imperatoris apud Sanctam Sedem ab a. 1563.

N. 13.

Pius V, pontifex maximus
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri

Romae, 24 V 1566.

Supplicante rege Poloniae, mandat eis, ut litem inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem exortam, sibi antea reservatam, decident.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 64 f. 24r-v. In f. 25r sigillum Iulii Ruggieri et vestigia sigilli Stanislai Hosii.

Reg.: AV, Arm. 42, ms. 25 f. 576r-v, cum inscriptione: "Dilectis filiis Stanislao S.R.E. presbytero card. Warmiensi nuncupato, nec non Magistro Iulio Ruggiero, Notario et ad Char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio". Ad calcem textus in f. 576v alia manu summarium, dein manu card. referendarii: "Nunc Sanctitas V.ra eandem causam card. Warmiensi et Nuntio committit, qui eam summarie terminent [...], suspendendo censuras quoad ipsa causa terminata fuerit".

Dilecti fili, salutem etc.

Superioribus mensibus, cum accepissemus litem et differentiam quandam occasione certae pecuniarum summae inter ven.les fratres Archiepiscopum Gnesnensem et Epum Vladislaviensem exortam fuisse⁷⁰, ipsumque Archiepiscopum, vigore cuiusdam obligationis in forma Camerae Apostolicae^{a)} a dilecto filio curiae causarum ipsius Camerae Apostolicae generali Auditore contra ipsum Episcopum decerni obtinuisse, Nos ex rationalibus causis, animum nostrum moventibus, litem et causam huiusmodi ab eodem Auditore seu aliis quibusvis iudicibus avocantes, illam per Nos audiendam et terminandam reservavimus, et interim censuras predictas ad sex menses suspendimus, prout in nostris in forma Brevis desuper confectis litteris plenius continetur⁷¹.

Cum autem nuper Char.mus in Christo filius noster Sigismundus Augustus, Poloniae Rex Illustris, a nobis per suas litteras instanter petierit, ut dictas censuras ulterius suspendere et causam ipsam Vobis decidendam committere dignaremur⁷², iccirco nos, cupientes tanti Regis votis, quantum cum Deo possumus, benigne satisfacere, eandem litem et causam remittendam duximus. Itaque Vobis per praesentes committimus et mandamus, ut dictam litem et causam, in eisdem statu et terminis, in quibus ad

⁷⁰ De hac lite, inter aepum Iacobum Uchański et epum Nicolaum Wolski intercedente, vide Wierzbowski JU, p. 661-665.

⁷¹ Breve Pii V ad Iacobum Uchański de die 17 I 1566 ed. Ehrenberg UA, p. 190-191.

⁷² Cfr. epistolam regis, Lublini die 16 IV 1566 datam, in AV, Lett. Principi 26 f. 31r. Responsum Pii V huic epistulae datum est Romae 28 V 1566 (vide Ehrenberg UA, p. 210-211).

praesens reperitur, autoritate nostra audiatis, cognoscatis ac fine debito vel via concordiae, vel prout iustitia suaserit, decidi ac terminari curetis⁷³ ac in negotio huiusmodi summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii et manu regia procedatis. Nos enim Vobis, tam dictos Archiepiscopum et Episcopum, quam quoscumque alios, sua communiter vel divisim interesse putantes, et per edictum publicum constituto, summarie de non tutto ad eos accessu coeundi ac illis et quibusvis iudicibus, et sub sententiis, censuris et poenis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, arbitrio Vestro imponendis et moderandis, inhibendi, caeteraque in praemissis necessaria et opportuna faciendi et exequendi facultatem concedimus. Et interim suspensionem censurarum per Nos ad sex menses nondum elapsos, ut praefertur, factam, donec ea ipsa terminata fuerit, harum serie prorogamus et quantum opus sit easdem censuras ad effectum huiusmodi de novo suspendimus. Decernentes irritum et inane quicquid secus super his a quoque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quae in dictis litteris volumus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 24 Maii 1566, anno primo^{b)}.

(c-Cesar Glorierius-c)⁷⁴

a) *In minuta sequitur: censurar[um]litteras*

posse expediri Hu[go] card. S. Sixti

b) *In minuta alia manu scriptum sequitur:*

c-c) *In minuta alia manu.*

N. 14.

Andreas Patricius Nidecki
card. Stanislao Hosio

Lublino, 5 VI 1566.

Scribit de negotio trideistarum et anabaptistarum. Archiepiscopum propediem expectari. Legatum summi pontificis Cracoviam advenisse.

Autogr.: Olsztyn, ADWO, D 15 f. 35r. In f. 35v vestigia sigilli et annotatio: "rediditae 17 Iunii 1566 Smolaini, responsum 22 Heilsbergae".

⁷³ Hoc idem petierat aepus Gnesnensis per suum agentem Romanum, consentientibus cardinalibus Ioanne F. Commendone et Stanislao Hosio. Idem, epistula Lovicii die 20 IV 1566 data, Stanislao Hosio scripserat: "Tamen si Rev.ma et Ill.ma Dominatio V.ra ad Comitata Regni accesserit, etiam non expectato domino Rev.mo Sedis Apostolicae Legato, si forte moram fecerit, libenter acquiescam" (or. Olsztyn, ADWO, D 26 f. 24v).

⁷⁴ Caesar Glorieri, secretarius brevium.

Ill.me et Rev.me Domine, servitutis commendationem.

Caetera ex Rev.mi domini Vicecancellarii⁷⁵ litteris. Quod attinet Trideistarum et Anabaptistarum negotium⁷⁶, quod designatis ad eam rem aliquot Consiliariis commissum fuit, haereticos esse fatentur omnes, fatentur esse et puniendos. Illud in controversia est, a quo et apud quem accusandi sint, neque enim fore quisquam existimandus est, qui se hoc tanto scelere sponte alliget. Saeculares nolle videntur Episcopos iudices. Multo minus autem volunt Episcopi Capitaneos ad id iudicium admittere ut iudices, nisi forte ut assessores a se accersitos. Ita res pendet, et illi triumphant, qui iamdudum plecti debuerunt. Haec absente Archiepiscopo⁷⁷ acta sunt, qui ante ferias Pentecostes sacrorum causa discesserat, propediem rediturus. Is cum redierit, de controversia hac componet, ita enim fere convenit.

Legatus Summi Pontificis Cracoviam advenit⁷⁸, is qui a Pio adhuc quarto fuit designatus, Ruggierus Abbas, homo, ut ferunt, litteratus. Is Lublinum sabbato proximo venturus esse dicitur. Commendo servitatem meam Ill.mae Dominationi V.rae. Datum Lublino, V Iunii M. D. LXVI.

Ill.mae Dominationis V.rae servitor

Andreas Patricius⁷⁹.

⁷⁵ Petrus Myszkowski.

⁷⁶ Decretum regium de iis regno pellendis latum erat, vide Wierzbowski JU, p. 407-410, 445-446 et infra in epistula N. 15.

⁷⁷ Iacobus Uchański.

⁷⁸ Multi in Polonia diebus illis valde mirabantur nuntium apostolicum nondum advenisse. Paulo ante die 30 V 1566 familiaris Stanislai Hosii, Valentinus Kuczborski, Heilsberga scribebat ad Martinum Cromerum: "Nuntium cupide exspectamus, de quo nemo scribit" (or. Kraków, BJ 28 I f. 277r); et herus eius ad eundem Cromerum ibidem die 9 Iunii 1566: "Quem ita diu abesse mirari satis non possum. Sunt qui dicant non prius huc esse venturum quam cum obedientia missus in Urbem aliquis fuerit". Cracoviae nuntius i. a. visitavit universitatem studiorum: "Anno Domini 1565 [sic] die 22 Iunii Rev.mus dominus Iulius Rugerius, protonotarius apostolicus, in regnum Poloniae a Sede Apostolica legatus, in Collegium Maius et lectorium Theologorum venit et ibidem hora 17 mgrum Martinum Pilznensem, antea Omnium Sanctorum, tunc ecclesiae cathedralis Cracoviensis ordinarium concionatorem, Epistulam Pauli ad Ephesios enarrantem, et hora 18 mgrum Ioannem Leopolitam, concionatorem ut supra, Epistulam Pauli ad Hebraeos explicantem, audivit. Et postridie prandio exceptus benigne et honorifice de studiis theologicis contulit et de scholastica theologia dissertationem satis prolixam instituit, et ipsius resolutionem per praefatos concionatores factam approbando, petiit, ne gravarentur ad se venire saepius, futuros sibi gratiores oblatos quam rogatos..." (Wisłocki I, p. 357-358).

⁷⁹ Andreas Patricius Nidecki (1522-1587), ab a. 1560 secretarius regius, postea epus Vendensis (ab a. 1585).

N. 15.

**Iacobus Uchański, aepus Gnesnensis
card. Stanislao Hosio**

Lublino, 16 VI 1566.

Notum facit nuntium apostolicum tandem advenisse et statutum contra trideistas et anabaptistas executioni demandatum esse, quo vult, ut opera nuntii etiam ad reliquos protestantes extendantur.

Or.: Olsztyn, ADWO, Ab 2 f. 87r-88r. In f. 88v vestigia sigilli, inscriptio et alia manu: "Redditae 24 Iunii 1566, Responsum 25 Iunii Heilspergae".

- Ed.: Wierzbowski U III, p. 133-135.

Rev.me atque Ill.me Domine, Domine amice et patrone cum observantia colende.

Res ad Prussiam attinentes describit. Venit tandem ad nos diu exspectatus a Sancta Apostolica Sede Nuncius, Rev.mus D.nus Abbas Ruggierius, qui hactenus tamen a Maiestate Regia auditus non est⁸⁰. Causam legationis peculiarem Rev.mae atque Ill.mae Dominationi V.rae libenter scriberem, sed is de negociis suis ne minimum quidem mecum communicavit. Non defui tamen officio meo, nam de omnibus, quae ad publicam Ecclesiae causam spectant, eundem diligenter ad munus suum recte explendum informare non cesso. Quem a Rev.ma ac Ill.ma Dominatione V.ra officii sui quoque admonitum et informatum velim, quo, nisi de omnibus nobiscum fideliter communicaverit, dextre et cum aliquo fructu nostro nequaquam defungi poterit.

Illud de Trideistis et Anabaptistis edictum, quod tantopere Confessionistae et Sacramentarii efflagitarunt, evasit tandem, ut ita dicam, in quodam pronunciatum, quod Sacra Maiestas Regia ore, vultu et habitu sic protulit, ut cor eius plerisque videretur spiritu Dei gubernari. Nam et graviter et prudenter dixit, et omnia tamen cautissime, ut licet contra Trideistas et Anabaptistas statutum et confoederationem executioni demandandam decreverit, reliquas tamen sectas minime approbaverit. In eo nunc saltem difficultas non levis vertitur, si scripto edi decretum oporteat, ne peregrinum quiddam a sensu verborum Regionum immisceatur, quod vel intelligentiam illius synceram corrumpat et Haereticis aliis ad impunitatem fenestram

⁸⁰ Nec etiam auditus erat sub finem mensis, ut docet epistula nuntii apud imperatorem, Andreae Dudith, epi Quinqueecclesiensis, ad Catharinam reginam Poloniae, data Lublino 29 VI 1566: "Il noncio del Papa è poco meno d'un mese qua, né mai ha potuto ottenere l'audientia da Sua Maestà privatamente, ma secondo l'uso di questa corte vien mandato d'hoggi in dimani. Di che ne resta molto confuso" (cop. Wien, HHStA, Polen I 12, fasc. 4 f. 115v). Per alteram epistolam eodem die scriptam reginam certiore facit se cum nuntio apostolico tractasse de divortio regis: "Ho trattato anco col Noncio che faccia officio gagliardo di questa cosa come appartenente [sic] immediate all'honor et riputatione di suo patrone et della Sede Apostolica et della fede catholica" (ibidem, f. 132v).

aperiat, aut etiam iurisdictionem nostram labefactet, vel brachii denique saecularis ministerium nobis interceptat. De quibus omnibus Rev.mum D. num Nuncium iam diligentissime admoneri curavi, hortatusque sum, ut de omnibus Sacram Maiestatem Regiam in primo colloquio commonefaceret⁸¹. Neque deinceps quidquam intermittam, quod muneris mei ad hanc rem recte curandam esse [88r] existimavero. *Absentiam Stanislai Hosii in comitiis varie accipi a nuntiis nobilitatis dicit.* Lublini XVI Iunii Anno Christi MDLXVI.

Ut ancipiti cura liberer, num litterae, quarum mentionem feci, redditae sint necne, exempla earum praesentibus addidi.

(^a-V.rae Rev.mae et Ill.mae Dominationis

Servitor observantissimus
Iacobus Uchański, Aepus Gnesnensis
manu propria^{a)})

^{a-a)} *Autographum.*

N. 16.

Pius V, pontifex maximus
Iulio Ruggieri

Romae, 18 VI 1566.

Concedit ei facultatem conferendi primi canonicatus Cracoviensis, in mense apostolico vacaturi.

Reg.: AV, Arm.44. ms. 7 f. 83r cum inscriptione: "Dilecto filio magistro Iulio Rogerio, nostro et Sedis Apostolicae Notario et apud char.mum etc. Poloniae Regem Nuncio" et annotatione in f. 84v: "Breve ad Iulium Rogerium Nuncium in Polonia pro conferendo primo canonicatu, qui vacaverit in Ecclesia Cracoviensi in mense Sedi Apostolicae reservato. Die 18 Iunii 1566".

Cop. coeva: Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 609-610.

Dilecte fili, salutem etc.

Praeter alias facultates tibi a nobis concessas⁸², ut benignum alicui te praebere possis, cuius virtutem ac devotionem erga Se-dem Apostolicam tali proemio dignam cognoveris, de primo canonicatu et praebenda Cracoviensis ecclesiae ad collationem nostram pertinentibus, quos post has litteras

⁸¹ Cfr. R. 1, cap. XVII et R. 4.

⁸² Vide N. 10.

propter probitatem ac litterarum scientiam dignus, qui ad dilectos filios canonicos illius insignis ecclesiae aggregetur, apostolica auctoritate facultatem tibi damus atque concedimus. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus⁸³. Datum Romae apud S. Petrum etc., die XVIII Iunii 1566, anno primo.

N. 17.

Pius V, pontifex maximus
Iulio Ruggieri

Romae, 22 VI 1566.

Mandat ei, ut una cum cardinali Varmiensi controversiam inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem componere studeat.

Reg.: AV, Arm.44, ms.7 f. 93r. In f. 94v. annotatione cancellariae: "Breve ad Iulium Rogerium, Nuncium in Polonia, pro componenda controversia inter Aepum Gnesnensem et Epum Vladislaviensem. Die 22 Iunii 1566".

Ed.: Wierzbowski U II, p. 240.

⁸³ Ruggieri hac facultate utens canonicatum Cracoviensem contulit Stanislae Klodziński, die 5 XII 1567: "Ven. lis domini Clodzinski Iurium Doctoris et Sacrae Regiae Maiestatis Secretarii, Dioecesis Gnesnensis Clerici et de Canonicatu et praebenda Cracoviensi fundi Wawrzinczicze, per ingressum ac susceptionem religionis Rev. di domini Simonis Lugowski etc. vacantibus, per Rev. mum dominum dominum Iulium Rugerium de numero Protonotarium Apostolicum, [100r] nuntiumque cum potestate Legati de Latere ad Ser. mum dominum dominum Sigismundum Augustum Poloniae Regem etc., provisi et instituti, nomine, Magister Petrus de Nova Civitate legitimus Procurator, binas quasdam litteras, provisionis praedictae alteras, alteras vero mandati executivi sub titulo et sigillo eiusdem domini Legati Apostolici emanatas, coram Rev. dis dominis Praelatis et Canonicis totoque Capitulo Cracoviensi praesentavit, [...] petens [...] suumque principalem [...] admitti. Et Rev. di domini, inhaerendo Statuto de revidendis litteris Romanis vel aliorum quorumcumque ignotorum Iudicum [...] in octava eidem responsum se daturus obtulerunt". Vide Kraków, AKKK, Acta Capitularia, ms. 6 f. 99v-100r. Die 12 XII eiusdem anni: "Canonicatus et praebendae ecclesiae Cathedralis Cracoviensis fundi Wawrzinczicze petitaeeque receptionis ad eosdem Ven. lis domini Stanislae Klodzinski in causa, Rev. di domini in termino hodierno dilatorio, audita relatione revisionis litterarum provisionis et mandati executivi desuper, ab Auditorio Rev. mi domini Iulii Rugerii, Nuntii Apostolici, sub titulo et sigillo illius emanatarum, visa etiam facultate ipsius et indulto Apostolico ex litteris brevis Ss. mi Domini Nostri Domini Pii quinti, moderni Pontificis Romani, sub data Romae die Decima nona Mensis Iunii anno Millesimo quingentesimo Sexagesimo sexto, Pontificatus Suae Sanctitatis anno primo productis, quo quidem data est dicto domino Nuntio potestas unum Canonicatum et praebendam ecclesiae Cracoviensis, [102r] principaliter ex tunc vacaturam, personae sibi gratae conferendi et de ea providendi etc., responderunt se quidem paratos esse mandatis suae Dominationis Rev. mae obedire atque parere, verum attento quod dictus dominus Stanislaus Klodziński, vel eius procuratores, pro tunc ad receptionem parati non fuerunt, [...] hinc ad unius aut alterius mensis spatium Decreto suo praesenti distulerunt". Receptio Stanislae Klodziński locum tandem habuit die 13 II 1568. Ibidem f. 101v-102r (cfr. etiam f. 109v-110r).

Dilecte fili, salutem etc.

Moleste ferimus ven.les fratres Aepum Gnesnensem⁸⁴ et Epum Vladislaviensem⁸⁵ adhuc inter se litigare. Et sane nimis indignum est duos tales istius Regni Praelatos tam pertinaciter de re pecuniaria contendere⁸⁶. Quam ob rem mandamus tibi, ut una cum dilecto nostro Stanislao S.R.E. presbytero Cardinali Varmiensi appellato, eam controversiam inter eos componere studeas⁸⁷, comiter utrumque etiam nostris verbis hortando, ut pro Sedis Apostolicae reverentia aliquid de suo iure remittant eamque rem vestro arbitrio decidendam transigendamque permittant. Semper quidem decuit episcopos fraternam inter se charitatem colere; sed tempus etiam istius Regni poscit, ut nulla omnino res coniunctionem illorum interpellet. Datum Romae apud S. Petrum etc., die XXII Iunii 1566, anno primo.

N. 18.

Pius V, pontifex maximus
Iulio Ruggieri

Romae, 20 VII 1566.

Licentiam ei dat accipiendi omnes sacros et presbyteratus ordines a quocumque catholico antistite.

Min.: AV, Arm.42, ms. 26 f. 185r. cum inscriptione: "Dilecto filio Magistro Iulio Ruggiero, Notario nostro, apud char.mum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem Illustrem nostro et Apostolicae Sedis Nuntio".

⁸⁴ Iacobus Uchański.

⁸⁵ Nicolaus Wolski.

⁸⁶ Cfr. N.13.

⁸⁷ Ad nuntium apostolicum item remisit aepum Gnesnensem card. Stanislaus Hosius scribens ei Heilsberga 20 VI 1566: "Praesens iam isthic adesse dicitur nuntius apostolicus, vir, ut audio prudens, doctus et integer. Illius arbitrio causam suam permittat neque dubitet, quin officio boni viri sit functurus" (Wierzbowski U III, p. 135-136). Idem card. Ioanni F. Commendone scribebat 1 VII 1566: "Quod nuntius tandem advenerit, gaudeo. Spero futurum, ut ille quod erit sui muneris, gnaviter praestet. Ego vero nunquam optavi, prius ut ad me quam ad maiestatem regiam veniret, si maiestas eius esset in Polonia. Magnam enim ea res invidiam mihi conflavisset et occasionem nescio quid secus de me suspicandi dedisset. Si vero fuisset in Lithuania, tum ut prius ad me diverteret cupiebam, nec enim illi multum erat futurum devium" (Ehrenberg UA, p. 213).

Dilecte fili, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecisti, quod tu, fervore devotionis accensus, ad omnes sacros et presbyteratus ordines promoveri et in altaris ministerio ministrare desideras⁸⁸. Nos igitur te speciali gratiae favore prosequi volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Tibi^{a)}, (^{b-}cum a tuo ordinario in praesentias ordinari nequeas^{b)}), ut a quocunque malueris catholico Antistite, gratiam et communicationem Apostolicae Sedis habente, aliquibus tribus dominicis seu aliis festivis diebus, etiam extra tempora a iure statuta, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines, dummodo sufficientem titulum beneficii habeas et aliud canonicum impedimentum non obsistat, te promoveri facere (^{c-}libere valeas^{c)}), ipseque Antistes illos tibi conferre licite possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium litterarum concedimus pariter et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae, apud S. Marcum etc., die XX Iulii 1566, anno primo.

Caes[ar] Glorierius

^{a)} *Sequitur expunctum*: re dum modo

beneficii habes

^{b-b)} *Supra expunctum*: sufficientem titulum

^{c-c)} *Supra lineam*.

N. 19.

Iulius Ruggieri

Erasmus Mieliński, canonico Cracoviensi

Lublino, 15 VIII 1566.

Concedit ei facultatem accipiendi ordines sacros.

Cop.: Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 116-117.

⁸⁸ Supplicatio Iulio Ruggieri invenitur in AV, Arm.42, ms. 26 f. 184r; signata est nomine ex baptismo ipsius summi pontificis Pii V: "Fiat ut petitur. M[ichael]" (Michael Ghislieri).

Litterae formatae promotionis ad gradum Subdiaconatus Ven.lis Domini Erasmi Mieliński⁸⁹ Canonici Cracoviensis per commissionem Legati Apostolici.

Valentinus Herbut⁹⁰, Dei gratia Epus Premisliensis etc. Universis et singulis notum facimus nos recepisse Rev.mi domini Iulii Ruggieri, Apostolici in Polonia Nuncii, ac etiam Rev.mi domini Philippi Padniewski, eadem gratia divina Epi Cracoviensis, litteras sigillis earunqve Rev.morum Dominorum ac Notariorum subscriptione communitas sanas et integras et omni suspitione carentes, quarunqve tenores de verbo ad verbum sequuntur:

Iulius Rugerius Apostolicus de numero Protonotarius, ad Ser.mum dominum Sigismundum Augustum Po[117]loniae Regem. Ss.mi domini n.ri et Apostolicae Sedis cum potestate Legati de latere Nuncius, dilecto nobis in Christo domino Erasmo Mieliński, Gnesnensis et Cracoviensis ecclesiarum Canonico, salutem in domino sempiternam. Ex parte tua nobis oblata petito continebat, quod tu, devotionis fervore accensus, et ratione beneficiorum, quae obtines, arctatus ad omnes etiam sacros praesbyteratus ordines te promoveri facere desideras, ut in eis constitutus Altissimo perpetuo famulari valeas, commode tamen a iure statuta tempora expectare non potes. Quare nobis supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere de Apostolicae Sedis benignitate dignaremur. Nos igitur, ut erga Sedem Apostolicam eo amplius crescat tuae devotionis affectus, quo magis eam inveneris ad gratiam liberalem, ad hoc et ad alia per litteras ipsius Sedis Apostolicae, ad quarum insertionem non tenemur, sufficienti facultate suffulti, huiusmodi supplicationibus annuentes auctoritate Apostolica nobis commissa et qua fungimur tibi, ut a tuo ordinario, vel de eius aut Vicarii licentia a quocumque alio malueris Catholico Antistite, gratiam et communionem dictae Sedis habente, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, etiam extra tempora statuta a iure, aliquibus tribus vel aliis festivis diebus, si tamen alias idoneus et habilis ad hoc inveneris, promoveri et in illis promotus postmodum in altaris ministerio ministrare libere et licite possis et valeas, dispensamus et tam tibi quam antistiti ordinanti licentiam et facultatem tenore praesentium impertimur. Non obstantibus Apostolicis ac in provincialibus et synodalibus Conciliis aeditis, gratialibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Per hoc autem decretis Tridentini Concilii derogare nullatenus intendimus.

⁸⁹ Erasmus Mieliński († 1574), ante a. 1556 capitulo Gnesnensi cooptatus, a. 1556 vacantem canonicatum denuo obtinuit, ab a. 1556 canonicus Posnaniensis, 1562 etiam Cracoviensis, cfr. Korytkowski II, p. 618-619.

⁹⁰ Valentinus Herbut (1524-1572), ab a. 1560 epus Premisliensis, legatus regis Poloniae ad Concilium Tridentinum a. 1562-1563.

Datum Lublini, die quintadecima Augusti quingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Ss.mi in Christo patris et Domini Pii divina providentia Papae quinti Anno Primo.

Iulius Rugerius Nuncius.
Fiat gratis ubique.

N. 20.

Iulius Ruggieri
card. Ioanni Morone

Lublini, 29 VIII 1566.

Epistulas a se missas periisse scribit; comitia regni finita esse sine praeiudicio religionis catholicae nuntiat.

Autogr.: AV, Conc.Trid. 33 f. 138r-v. In f. 141v inscriptio et sigillum.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Patrone mio col.mo⁹¹.

Poco dopo l'arrivo mio a questa corte feci riverenza a V.ra Signoria Ill.ma, continuando con lettere quella antica servitù mia che hora non mi è lecito con altro servitio maggiore di potere dimostrare, ma per mia disgratia, poiché io credevo che la mia lettera fosse capitata in mano di V.ra Signoria Ill.ma et perciò mi persuadevo havere satisfatto in parte al mio debito verso lei. Mi viene hora scritto da messer Georgio Angoscioli che quel plico non è pervenuto in mano sua, perciò si è smarrita anchora la lettera che io scrivevo a V.ra Signoria Ill.ma. La quale supplico mi habbi per iscusato, et si persuada che io non desidero cosa alcuna maggiormente che conservarmi la gratia sua et servirla ogni volta che la mia bassa fortuna mi darà occasione di poterlo fare.

Di qua non ho che scrivere a V.ra Signoria Ill.ma, salvo che la settimana passata si fini la Dieta di questo Regno, la quale è passata senza pregiudicio alcuno della Religione Catholica. Et in questi miseri tempi pare che il non perdere sia spetie di guadagno. Io non mancarò [138v] però tuttavia di ingegnarmi a satisfare il meglio che io potrò al debito dello officio mio, quale supplico la Maestà Divina che indirizzi alla laude sua et al servitio di Sua Santa

⁹¹ Ioannes Morone (1509-1580), card. ab a. 1542, primus legatus pontificius ad Concilium Tridentinum a. 1563.

Chiesa⁹². Et intanto a V.ra Signoria Ill.ma bacio le mani et nella sua buona gratia humilmente mi raccomando, la quale il Signor Dio conservi longamente in felice stato. Di Lublino, alli XXIX di Agosto del [MD]LXVI.

Di V.ra Signoria Ill.ma et Rev.ma

Humil.mo et dev.mo servitore
il Protonotario Ruggieri

N. 21

Pius V, pontifex maximus
Iulio Ruggieri

Romae, 31 VIII 1566.

Mandat ei, ut synodo provinciali celebrandae una cum cardinali Varmiensi intersit.

Reg.: AV, Arm.44, ms. 12 f. 87r-v cum inscriptione: "Ven.li fratri Magistro Iulio Rogerio, in Regno Poloniae nostro et Sedis Apostolicae Nuncio".
-Ed.: Laderchi XXII, p. 208.
-Ed.: Theiner II, p. 726.

Dilecte fili, salutem etc.

Quia tempus opportunum nobis oblatum esse videtur, quo comitia Regni futura sunt, celebrandae synodi provincialis quoque iuxta decretum Concilii Tridentini, hortati ad eam celebrandam sumus Ven.lem fratrem Aepum Gnesnensem⁹³, cui etiam scripsimus nos ei synodo velle interesse te et dilectum filium [87v] nostrum Cardinalem Varmiensem⁹⁴, petentes, ne sine vobis eam congreget. Proinde cura, ut illi intersis et ut iis tantum de rebus in ea agatur, de quibus divini obsequii et ecclesiarum utilitatis causa Concilium

⁹² Iulium Ruggieri a rege Poloniae non magni aestimatum fuisse inter alia legimus in epistula Francisci Sunyer, viceprovincialis SJ, ad Franciscum Borgia, generalem SJ, data Heilsbergae 5 VIII 1566: "Del nuncio apostolico intendo che nella corte se ne fa poco conto et che disse il re di luy doppo averlo fatto spettar molti giorni inanzi di darli audientia: Quantum diversus ab illo!, intendo del Commendone. Certo in queste bande non si vorrebbono mandare, manco de vescovi et quelli homini di molto valore et di molta autorità" (autogr. Roma, ARSI, Germania 147 f. 174v). Similiter scripsit etiam Stanislaus Hosius ad card. Ioannem F. Commendone Heilsberga, 26 VII 1566 (Ehrenberg UA, p. 219).

⁹³ Iacobus Uchański.

⁹⁴ Stanislaus Hosius.

Tridentinum tales synodos habendas esse decrevit. Datum Romae apud S. Marcum, die ultimo Augusti MDLXVI, Anno Primo⁹⁵.

N. 22.

Franciscus Sunyer, viceprovincialis SJ
Francisco Borgia, praeposito generali SJ

Heilsbergae, 24 IX 1566.

Nuntium apostolicum advenisse Heilsbergam scribit; ipsique scribendum esse suggerit.

Autogr.: Roma, ARSI, Germania 147 f. 229r-230r. In f. 230v vestigia sigilli et inscriptio.

Molto Rev.do in Christo Padre n.ro⁹⁶.

Pax Christi etc. *Describit bona initia collegii Brunsbergensis Societas Iesu.* Il nuncio apostolico venne dal cardinale a li 20 di Settembre⁹⁷. Mostra molta affectione a la compagnia et spero che quando sarà tempo di trattare de la fundatione che farà buon offitio, ben che per esser luy giovane et non esser vescovo, tiene poca authorità in questo regno. *Cardinalis in comitiis Marienburgensibus de fundatione Iesuitarum in Prussia tractabit.* L'istesso giorno che venne il nuncio poco avanti del suo arrivo si fuggì del castello del cardinale magistro Symone [Hagenau], qui a Societate Iesu defecit. *31 VIII venit Brunsbergam scholasticus Gnesnensis Warsovicus, qui in societatem intrare intendit. Fundatio Pultoviensis bene procedit.*

⁹⁵ Eadem die scriptum est card. Varmiensi, ut aepum Gnesnensem ad synodum provincialem quam primum convocandam hortaretur eique interesset (Theiner II, p. 726), similiter etiam aepo Gnesnensi Iacobo Uchański (Theiner II, p. 726).

⁹⁶ Franciscus Borgia (1510-1572), professus SJ ab a.1548, a. 1551 sacerdotio auctus, a. 1565-1572 praepositus generalis SJ, canonizatus a. 1671.

⁹⁷ De eius ad Stanislaum Hosium itinere scripsit ad eundem Iacobus Uchański, aepus Gnesnensis, Lovicii 14 IX 1566: "Cum intellexissem Rev.mum Dominum Sedis Apostolicae Nuncium ad Rev.mam et Ill.mam Dominationem V.ram parere profectionem, primum Lublini, deinde hic Lovicii. Quaecunque necessaria et accommoda putabam ad ecclesias et ecclesiasticas personas huius provinciae iuvandas, ipsius Rev.mae Dominationi suggerebam. Inter alia vero tam de synodo nostra, quam de seminariis celerius instituendis rationes, quas cogitaveram, suppeditavi "(or. Olsztyn, ADWO, D 26 f. 28r). Melchior Biglia vero, nuntius apostolicus apud imperatorem, sic referebat card. Ioanni F. Commendone Vienna 15 X 1566: "Il nuntio Rugieri debbe ritrovarsi in li confini di Prussia, così mi scrisse gli dì passati; non è stata poca disgratia la sua a succeder in quella legatione dopo di V.ra Signoria Ill.ma, e non più oltra" (autogr. AV, Nunz.Germ. 66 f. 328v).

[230r] Forsan spedirebbe che la Paternità V.ra scrivesse alcuna lettera al nuncio apostolico raccomandandoli le nostre cose⁹⁸.

Indegno servo nel Signore
† Franciscus Sunyer⁹⁹ †

N. 23.

Iulius Ruggieri
card. Gulielmo Sirleto

Braunsbergae, 4 XI 1566.

Scribit se de manu card. Varmiensis recepisse presbyteratus ordinem; una cum eodem ipsi gratulatur collationem episcopatus Sancti Marci; ex hoc exsilio revocari desiderat.

Autogr.: BV, Vat.Lat. 6182 I f. 301r-v. In f. 318v inscriptio et vestigia sigilli.

Ill.mo et Rev.mo Signore et Padrone mio col.mo.

Per terminare alcune cause commessemi da Sua Beatitudine¹⁰⁰ io mi trovo hora presso a Mons. Ill.mo Varmiense¹⁰¹, per mano del quale, con mia estrema consolatione, ho presi tutti gli sacri ordini. Et spesso ragioniamo insieme delle perfette conditioni di V.ra Signoria Ill.ma, verso la quale caminano del pari la molta affettione di questo virtuosissimo Signore et la divota servitù mia. Et con nostro sommo piacere habbiamo inteso che Sua Santità habbi prudentemente provisto alla chiesa di S. Marco della persona di V.ra

⁹⁸ Nuntium apostolicum initio suae apud Stanislaum Hosium commorationis in animo habuisse Gedanum proficisci certiorum fecit Martinum Cromerum secretarius card. Varmiensis, Valentinus Kuczborski, ex Marienburgo die 17 X 1566: "Nos eramus profecturi Gedanum, nam Rev. Dominus Nuntius apostolicus ostendebat se teneri urbis videndae studio [...] Et iam fuit significatum civitati de utriusque adventu. Ecce autem cum essemus in procinctu, significat Dominus Nuntius proficisci se non posse, quod noctem insomnem duxerit et minus bene affectus fuerit. Vere an simulate dicat, nescio. Nos quidem, qui eramus profecturi, manebimus omnes et levitatis nescio cuius notabimur. Sed sunt, qui putent abstinere illum ab itinere eo, quod sumptum reformidet, quem tamen fecisset nullum" (or. Kraków, BJ 28 I f. 227; ed. Glemma OKDG, p. 103).

⁹⁹ Franciscus Sunyer, Hispanus (ca 1532-1580), in Poloniam venit tanquam visitator provinciae Austriacae Societatis Iesu, cui Iesuitae Poloni subiecti erant. Cum a. 1574 creata esset provincia Polona, primus eius praepositus nominatus est.

¹⁰⁰ Imprimis controversias vertentes inter aepum Gnesnensem Iacobum Uchański et epum Vladi-slaviensem Nicolaum Wolski atque inter card. Varmiensem eiusque capitulum, quaestionem de convocanda synodo provinciali etc. Cfr. N. 13, 17.

¹⁰¹ Stanislaus Hosius.

Signoria Ill.ma¹⁰², la quale anco mi rallegrò per beneficio di quel popolo che sia risoluta di visitarlo, se bene io conosco che la sua assenza da Roma sia per portare a me poco commodo.

Spero nondimeno che Sua Beatitudine non sia per lasciarla lungo tempo absente, et che potrà V.ra Signoria Ill.ma fra qualche mese favorirmi acciòché io sia levato di questo essilio pieno de fastidiosi negotii, gli quali però con l'aiuto divino ho sin qui trattati senza danno della Religione et di cotesta Santa Sede et forse con qualche satisfattione di Sua Santità, per quanto io posso comprendere dalle lettere. Et per l'avenire ancora m'ingegnerò di fare il medemo, guardandomi tuttavia da ogni sospitione di incontinenza et di avaritia, della quale sin qui non credo che alcuno mi possa notare, poichè io rifiuto tutti gli presenti et faccio le ispeditioni gratis ancora quanto alla scrittura.

Et supplicando V.ra Signoria [301v] Ill.ma a continovare per sua benignità nella protectione mia, nella quale ho riposte tutte le mie speranze, a lei bacio le mani et prego il Signore Dio che le doni lunga felicità. Di Brunsberga, alli IIII di Novembre del LXVI.

Di V.ra Signoria Ill.ma et Rev.ma

Humil.mo et devotissimo servitore
il Protonotario Ruggieri

N. 24.

**Iacobus Uchański, aepus Gnesnensis
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Lovicii, 7 XI 1566.

Scribit eorum operam in reconciliatione sua cum epo Vladislaviensi se libentissime accipere. Transmittit exemplum litterarum suarum de synodo provinciali iuxta instructionem Summi Pontificis celebranda.

Or.: Kraków, BCz 1607 IV p. 1221-1222. In p. 1226 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "Redditae 2 Decembris 1566, Responsum 4 Decembris Heilspergae".

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 153-154.

¹⁰² Sirletus nominatus est epus Sancti Marci in Italia meridionali 6 IX 1566.

Ill.mi et Rev.mi Domini, Domini amici synceriter observandissimi.

Post obsequiorum meorum sedulam debitamque commendationem. Quod mihi Rev.mae Dominationes V.rae ex mandato Ss.mi Domini Nostri suaque sponte officium suum offerunt in danda opera de conciliando me cum Rev.mo Domino Epo Wladislaviensi¹⁰³, iterum atque iterum ago et habeo eis ac inprimis Ss.mo Domino Nostro, gratias amplissimas. Agnosco enim Ss.mi Domini Nostri, uti pastoris Oecumenici, synceram curam et animos Dominationum V.rarum cupidissimos pacis inter fratres constituendae. Qua quidem re nihil Deo praepotenti gratius potest esse, nihil menti christianae amabilius. Curabo autem, ut ad diem et locum per Dominationes V.ras constitutum, nimirum in Castrum Heilspergense, ad festum proximum Divi Clementis¹⁰⁴ mittam mandatarios meos, qui et mentem meam exponant ipsis Dominationibus V.ris et ea pro parte mea attendant, quae coram Rev.mis Dominationibus V.ris mihi attendenda sunt.

De Synodo habenda quid scripserim ad Rev.mos Dominos Epos, ex hoc exemplo, quod iis innexum mitto, facile cognoscent¹⁰⁵. Postquam autem de loco et tempore celebrandae Synodi ex Rev.morum Dominorum Episcoporum sententia constituero, non negligam Dominationibus V.ris Rev.mis formulam indicendae eius videndam ac emendandam transmittere. Quamvis autem non dubito V.ras Dominationes Rev.mas minime ignorare, quid Ss.mus Dominus Noster litteris per Rev.dum Dominum Cromerum allatis et per illas mihi transmissis mandet, tamen non abs re visum est facere, ut summam illarum brevibus perstringerem, quae est eiusmodi: Quod Sua Sanctitas vehementer optet Concilii Tridentini Decretum de provincialibus Synodis habendis ubique ad effectum deduci, meque hortatur, ut Synodi nostrae iuxta ipsum Concilium celebrandae occasionem non praetermittam, quam Regni [1222] huius Comitata offerunt¹⁰⁶. Significat praeterea se velle, ut Rev.mae Dominationes V.rae ei Synodo intersint, sine quibus si aliqui (quod absit) eam celebrare voluerint, eos a tali consilio pro Sedis Apostolicae reverentia deterrerem, nec sine illis eam congregare deberem, ut quoque in ea Synodo de his rebus agatur, quarum causa huiusmodi Synodos Sanctum Concilium celebrandas esse instituit. Tandem Rev.mas Dominationes V.ras diu et feliciter valere desidero, eisque me cum meis obsequiis commendo quam diligentissime. Lovicii, septima Novembris anno Christi 1566.

(a-V.rarum Ill.marum et Rev.marum Dominationum

Servitor obsequentissimus

¹⁰³ Nicolao Wolski, cfr. N. 13, 17.

¹⁰⁴ 23 XI.

¹⁰⁵ Agitur de epistula 5 XI 1566 data, edita a Wierzbowski U IV, p. 257.

¹⁰⁶ Petricoviae, die 26 III 1567 inchoata.

^{a-a)} *Autographum.*

N. 25.

**Iacobus Uchański, aepus Gnesnensis
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Lovicii, 16 XI 1566.

Scribit se mittere mandatarios ad transigendas causas cum epo Cuiaviensi, necnon de synodo provinciali celebranda et de morte Stanislai Orzechowski narrat.

Or.: Kraków, BCz 1607 IV, p. 1257. In p. 1260 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: " Redditae 13 Novembris 1566, responsum 28 Heilspergae".

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 154-156.

Ill.me Princeps et Rev.me Domine *etc.*

Litteras meas Ill.mam et Rev.mas Dominationes Vestras accepisse iam pridem haud dubito. Quibus respondi ad has, quas cursor meus attulit¹⁰⁷, et vel per manus Rev.di Domini Casparis Abbatis Olivae, Praepositi fratrum Carthusorum¹⁰⁸, qui eas perferendas acceperat, vel si hunc Sacra Regia Maiestas adhuc retinet, per alios iam esse redditas, quibus etiam annexas litteras Ser.mae Reginae nostrae¹⁰⁹ ad V.ram Ill.mam et Rev.mam Dominationem, Ill.me Cardinalis, et exemplum litterarum, ad Rev.mos D.nos Episcopos per me de habenda synodo datarum, adiunctum misi¹¹⁰. Quod autem Ill.mae et Rev.mae Dominationes V.rae tempus et locum mihi praefixerunt, monentes, ut mandatarios meos ad causas meas attentandas et transigendas cum Rev.mo Cuiaviensi¹¹¹ istuc mitterem, iam hos mitto, qui et has meas illis reddent, simul cum mandatis, qualibus opus erat, secundum Iurisperitorum consilium, sufficienter instructos. Precor autem a Domino horum inter nos Episcopos negotiorum felicem successum atque exitum, neque despero, V.rae Ill.mae et Rev.marum Dominationum ingenio, prudentiae et aequitati confisus, si modo sicut ego propendeo, ita et Rev.mus Cuiaviensis

¹⁰⁷ Desiderantur.

¹⁰⁸ Caspar Geschkau.

¹⁰⁹ Catharina Austriaca.

¹¹⁰ Cfr. N. 24.

¹¹¹ Nicolaus Wolski.

animum suum inclinaverit ad pacem et concordiam fraternam optima ratione redintegrandam, reddendo videlicet saltem bonis et tolerabilibus modis, quod debet mihi atque meis.

De aliis certius et multo plura scriberem, quae Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras scire velim, sed adhuc a Rev.mo Cracoviensi¹¹² et Cuiavien- si Episcopis ad litteras meas responsum mihi non est. Quod tamen quam primum habuero et sententias illorum et formulam indicendae Synodi Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris nulla mora mittam. Postremo, quavis aliunde certiora et plura nova ad Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras confluere non ambigo, tamen quae mihi perscripta sunt ab aliis, in hac scheda inclusa¹¹³ mitto.

De Orichovio autem nostro Stanislaο ferunt ad aulam scriptum esse, quod iam obdormierit in Domino¹¹⁴. Utinam anima eius requiescat in Eo et sanctissima pace. Causam mortis aiunt sollicitudinem de liberis et ex ea non nullam cum propinquis dissensionem obortam, cui accessit etiam amici cuiusdam, dicti Sziemuchowski, Vicecapitanei Leopoliensi¹¹⁵, admonitio et familiaris obiurgatio, quod se cum liberis ac bonis in magnum coniecisset periculum, dum pro Domino Barzi, Castellano Premisliensi, Capitaneo Leopoliensi, fidem suam incautus obstrinxisset domino Liaszotae¹¹⁶ ad exsolutionem aliquot et fortasse novem millium florenorum dotis, nomine Zarembianka, sorori uxoris Castellani, i poi Liaszotha consignatorum. Cum autem dominus Castellanus Premisliensis, alieno aere obaeratus, solvendo esse non possit, Orichovius, tanquam fideiussor, veritus ne de proprio solvere cogatur, magnis coeperat affligi perturbationibus, quibus eum absumptum esse creditur. De reliquo, me et obsequia mea in gratiam, causas vero meas ac meorum aequitati et iustitiae Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum quam possum diligentissime commendo, ipsasque incolumes et felicissimas esse cupio et opto. Datum Lovicii, XVI Novembris anno MDLXVI.

(a-V. rae Ill.mae etc.

Servitor etc.
Iacobus aepus Gnesnensis
manu propria^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

¹¹² Philippus Padniewski.

¹¹³ Non invenitur.

¹¹⁴ Stanislaus Orzechowski, natus 1513, scriptor politicus et polemicus religiosus, sacerdos ab a. 1541, a. 1551 uxorem duxit. Obiit a. 1566. Dies mortis ignoratur.

¹¹⁵ Adamus Siemiszowski, ab a. 1555 vicecapitaneus Premisliensis, a. 1565 surrogator capitaneatus Leopoliensis.

¹¹⁶ Stanislaus Lasota (ca 1515-1561), a. 1543 servitor primae uxoris Sigismundi Augusti, Elisabeth († 1545), ab a. 1545 secretarius regius.

N. 26.

**Stanislaus Hosius et Iulius Ruggieri
notariis publicis per Gnesnensem, Cracoviensem, Plocensem, Vladi-
slaviensem et Posnaniensem dioeceses constitutis**

Ex castro Heilsberga, 27 XI 1566.

*Mandatum citationis in causa inter aepum Gnesnensem et epum Wladisla-
viensem vertente.*

Or.: Olsztyn, ADWO, D 64 f. 24r-25r. In f. 25r sigillum Iulii Ruggieri et vestigia sigilli Stanislai Hosii.

Stanislaus, miseratione divina S. R. E. Cardinalis, Episcopus Varmien-
sis, et Iulius Rugerius, Apostolicus de numero [participantium] Prothonota-
rius, ad Ser.mum Dominum Sigismundum Augustum, Poloniae etc. Regem,
Sanctissimi Domini Nostri et Apostolicae Sedis cum potestate legati de la-
tere Nuncius, in causa et causis inter Rev.mos D.nos Gnesnesem Archiepisco-
pum, Regni Poloniae Primatem, et Episcopum Wladislaviensem vertente,
per Sanctissimum Dominum Nostrum specialiter deputati iudices.

Universis et singulis Notariis, Tabellionibus et Mandatariis publicis per
Gnesnensem, Cracoviensem, Plocensem, Wladislaviensem et Posnaniensem
Civitates et Dioeceses constitutis, salutem in Domino et nostris huiusmodi,
imo verius Apostolicis firmiter oboedire mandatis.

Noveritis, quod nobis nuper litterae redditae fuerunt Apostolicae tenoris
videlicet a tergo: Dilectis filiis, Stanislao S.R.E. presbytero cardinali Var-
miensi nuncupato, necnon Magistro Iulio Ruggerio, Notario et ad Char.mum
in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniae Regem Illus-
trem nostro et Apostolicae Sedis Nuntio. Intus vero: Pius Papa V. Dilecti filii
salutem et apostolicam benedictionem. Superioribus mensibus etc. [*vide sup-
ra N. 13*].

[24v] Post quarum quidem litterarum redditionem et receptionem Nobis
et per Nos, ut praemittitur, ea qua decuit reverentia factas, Nos ad executio-
nem earundum et contentorum in eisdem (ut tenemur) iuxta formam nobis
traditam procedere ac litteras praedictas et ipsorum continentiam ad prae-
fatorum Rev.morum D.norum Archiepiscopi et Episcopi et eorum cuiuslibet
veram notitiam deduci volentes, vobis omnibus et singulis supradictis com-
mittimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae et sub excommunica-
tionis poena, quatenus litteras praedictas eisdem Archiepiscopo Gnesnensi
et Wladislaviensi Episcopo et eorum cuilibet insinuetis et intimetis, ipsos-
que insimul vel separatim moneatis et requiratis ac insimul citetis, qua-

tenus ad diem XXI, a die executionis praesentium computantes, si ea iuridica fuerit, [25r] alioqui prima tunc futura iuridica, per se vel legitimos procuratores compareant coram nobis in Castro Heilsbergensi seu aliter in Dioecesi nostra Warmiensi ad allegandum et producendum coram Nobis quicquid volunt et possunt, nec non videntes et audientes per Nos iuxta formam litterarum praedictarum procedi usque ad sententiam inclusive, alias dicto termino elapso neutroque seu altero ipsorum comparente, vidente contra contumaces seu contumacem ad ulteriora usque ad finalem causae huiusmodi decisionem procedi. Non obstantibus quibuscumque. Datum in Castro Heilsbergensi XXVII Mensis Novembris 1566.

Petrus Maria Vulcanius, Cancellariae Rev.mi
D.ni Nuncii Apostolici Regens et Notarius¹¹⁷.

N. 27.

**Iacobus Uchański, aepus Gnesnensis
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Lovicii, 29 XI 1566.

Synodum provincialem eporum nimis procrastinari ac differri magnopere dolet; epum Vladislaviensem iura capituli sui bonis episcopalibus cavere debere scribit.

Or.: Kraków, BCz, ms. 1607 IV p. 1279-1283. In p. 1284 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "Redditae 15 Dicembre 1566".
- **Ed.:** Wierzbowski U III, p. 156-158.

Ill.me in Christo Pater et Rev.mi Domini, Domini et Patroni *etc.*

Cum de more et praescripto statutorum provincialium, quibus cavetur, ut proximiores Episcopi consulantur ac de consilio Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum, sicut debebam, de loco et tempore indicendae Synodi provincialis per litteras, quarum exemplum Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris iam dudum miseram, retulisset ad Rev.mos Dominos Episcopos eosque certiores reddidisset de mente, voluntate et mandato Ss.mi Domini Nostri, in diplomate Suae Sanctitatis ad me dato clarissime expressis, quo-

¹¹⁷ De Vulcanio, qui futurus erat cancellarius Iacobi Uchański ac deinde officialis curiae Romanae et nuntius extraordinarius in Polonia a. 1591, vide Wierzbowski JU (index) et Wojtyńska ANP I, p. 230, 354-356.

modo ipsam Synodum me omnino celebrare velit ac iubeat¹¹⁸, acceperam quidem litteras a Rev.mis Dominis Wladislaviensi¹¹⁹ et Plocensi¹²⁰ Episcopis, de quibus iam non ignorant, quales fuerint. Nunc autem allatae mihi sunt et aliae a Rev.mo Domino Cracoviensi Episcopo¹²¹, quibus se, quemadmodum et Rev.mus Dominus Vladislaviensis, recipit prius ad Capitulum suum de ea re relaturum et tandem etiam per suum nuncium mihi rescripturum¹²².

Hic ego, qua sum ingenii tarditate, assequi non possum, cur tam diu vel ipsi Rev.mi Domini vel eorum Capitula deliberent et non celerius rescribant in re tam necessaria et expedita, neque tam hebetes existimo, ut Synodi necessitatem non intelligant, neque tam obliviosos, ut non recordentur, quae de mutuo consensu, cum in Comitiiis essemus, Lublini¹²³ concluderamus. Ego certe ad huius consilii rationes penetrare non valeo, nec me ingerere ut novum Danielem audeo. Dominus Deus et V.ra Ill.ma ac Rev.mae Dominationes viderint, quam iusta et idonea sit ea, quae nequitur mora. Ego sane ve-reor, ne vel Rev.mos Dominos meos [1280] vel Capitula a culpa adeo non eximat, ut multo maiori oneret. Nolo sane accusator esse fratrum meorum¹²⁴, sed excusare mallet, si qua ratione possem. Sed cum illam non videam, neque quaerendo invenire valeam, meam atque illorum sortem deplorare cogor. Nescio sane, quam bono iure, qui nunc Episcopi in Polonia sumus, ad eorum numerum aggregabimur, qui pro Ecclesia Dei, cuius salus in praesidium ac pontificum dignitate pendet, studiosius vigilabant. Sola spes illa me solatur, quod Beatissimi et Sanctissimi Patres et Patroni nostri, Divi Adalbertus et Stanislaus, pro hac nostra provincia adhuc interpellant apud Deum Omnipotentem. Sed tam praesagit mihi animus futurum aliquando, ut Dominus Deus misericordiae suae oculis nos omnes et Praelatos, maxime Ecclesiasticos, ut nihil dicam amplius, degeneres et heu quantum a pristina pietate mutatos, respicere et ad officium redigere velit, acri poenitentia quicquid admittimus, prius expiuros.

Cum vero plane nesciam, quid ultra facere debeam, si tempus trahatur longius et non respondeatur mihi, aut secus respondeatur, quam necessitas postulat et Ss.mus Dominus Noster iubet, quid mihi faciendum existiment, oro et obsecro, dignentur pro sua excellentia, dignitate, autoritate, doctrina et virtute consulere rationemque praescribere, qua sufficienter instructus, valeam recte, ordine et commode hanc Synodum vel promovere, si promovenda sit, vel posthabere, si ita etiam Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris videatur.

¹¹⁸ De die 31 VIII 1566, vide Theiner II, p. 726.

¹¹⁹ Nicolaus Wolski.

¹²⁰ Andreas Noskowski (1492-1567), ab a. 1546 epus Plocensis.

¹²¹ Philippus Padniewski.

¹²² Vide Wierzbowski U III, p. 149, 156.

¹²³ Comitia Lublini celebrata 7 V-21 VIII 1566.

¹²⁴ Cfr. Gen. 42.

Praeterea Venerabile Capitulum Wladislaviense aliquoties per suos internuncios et de gremio fratres efflictim petiit a me, ut de indemnitate Ecclesiae Wladislaviensis et ipsorum, qui assensum suum praebuerunt ad alienationem bonorum Ecclesiae in spem, ut aiunt, maioris utilitatis, consulerem^{b)}. Ego vero quantum novi, consului, sed consilium meum propter hoc, quod in Regno [1283] hactenus viget iudicium, parum efficax sentiam, ad Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras et ipsi Ven.li Capitulo et mihi confugiendum putavi, opem illarum implorans: dignentur apud Rev.mum Dominum Wladislaviensem benigne partes suas interponere, eumque admonere, ut velit pactis conventisque stare, suae obligationi etiam coram Regia Maiestate, in amplissima forma factae, satisfacere, ac intromissionem, quam vocant, realem, possessionemque actuaalem, in quibus summam pecuniarum inscripsit, ante alios creditores sine ulteriori comperendinatione Ven.li Capitulo, dare et admittere, tantum propterea, ut et Ecclesiae et Capitulo, ac in posterum aliis Rev.mis Dominis Wladislaviensibus, ipsius successoribus, caveatur de indemnitate. Nam quod attinet fructus et redditus omnes eorum bonorum, semper integri manebant ipsi Rev.mo Wladislaviensi in his bonis, quam diu vixerit, sive Capitulum ipsa bona administraverit, secundum fusiorem dispositionem ipsius obligationis. Tandem me et obsequia mea quam possum diligentissime commendo, ac Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras optime ac diutissime valere, vigere florereque cupio. Datum Lovicii, penultima Novembris, anno Domini 1566.

^{b)}[1281] Ad persuadendum autem ipsi Rev.mo Wladislaviensi, ut intromissionem det et possessionem admittat Ven.li Capitulo, non video aliud efficacius quicquam, quam ut Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae ad alias rationes addere dignentur. Quod si hoc ita egerit et Ven.li Capitulo concesserit, iam deinceps ab instantia aliorum Creditorum tutior erit, cum Capitulum prius illa bona vigore iuris et inscriptionis suae apprehenderit, non multi Creditores inhiant bonis ipsis^{c)}, in quibus Capitulo de indemnitate cautum est^{b)}.

[1283]^{d)}V.rae Ill.mae et Rev.marum Dominationum

obsequentissimus servitor
Iacobus aepus Gneznensis
manu propria^{d)}

^{a)} *Adscriptum in margine.*

^{b-b)} *In folio separato adscriptum
manu ipsius archiepiscopi.*

^{c)} *Sequuntur tria verba illegibilia.*

^{d-d)} *Autographum.*

N. 28.

**Nicolaus Wolski, epus Vladislaviensis
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Varsaviae, 30 XI 1566.

Petit, ut propter suam aegritudinem terminus ad concordiam cum aepe Gnesnensi componendam in aliud tempus differatur.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 13 f. 95r-96r. In f. 96v inscriptio et vestigia sigilli.

Ill.me et Rev.me Domine, Domine amice col.me, salutem et diligentissimam offitiorum commendationem.

Et has et superiores ab Ill.ma et Rev.ma Paternitate V.ra litteras¹²⁵ tardius quam ratio temporis exposcebat accepi. Responsum tamen superioribus per D.num Gasparum Gieska¹²⁶ dedi, ex quibus Ill.mam et Rev.mam Paternitatem V.ram animi mei sententiam satis intellexisse existimo. Hae deinceps, quae Nona Novembris Heilspergae scriptae sunt¹²⁷, sub diem 24 eius mensis in manus meas inciderunt, quibus Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra studium mihi suum de componenda inter me et Rev.mum Archiepiscopum concordia testatum facit, tempus etiam certum et locum, in quem convenire debeamus ambo, idoneum consignat. Sed quia has quoque sero accepi (sunt enim mihi aliquot post festum divi Clementis¹²⁸ diebus reddi[95v]tae), mirum minime videbitur, si eorum desiderio et voluntati obsequi nequeo. Accedit eo valetudinis meae adversitas, quae talis est, ut si litterae Ill.mae et Rev.mae Paternitatis V.rae opportune mihi fuissent redditae, venire tamen pro loco et tempore nullo prorsus modo, etiam si maxime vellem, possem. Quare studium, quod Ill.ma et Rev.ma Paternitas V.ra in reducendis ad mutuam concordiam animis nostris facit, inprimis ego laudo et vehementer approbo. Deinde vero etiam mentem meam ad pacem et sopiendas quae inter nos sunt inimicitias promptissimam offero atque polliceor. Cui, quia nunc propter adversam valetudinem satisfacere nequeo, ab Ill.ma et Rev.ma Paternitate V.ra negotium nostrum in aliud tempus et locum transferri cupio. Veniam enim recuperata va[96r]letudine non solum Heilspergam, quo me venire iubent, verum ubivis alias, et me, cuius semper fui, pacis studiosissimum esse comprobabo. Scio enim verum illud passim circumferri: Concordia parvas res crescere et discordia maximas dilabi, et furorem maiorem exoriri laesa saepius patientia. Itaque pluribus nunc non agam. Habeo enim ani-

¹²⁵ Desiderantur.

¹²⁶ Caspar Geschkau.

¹²⁷ Desiderantur.

¹²⁸ 23 XI.

num ad componendam concordiam et conciliandas inimicitias iam dudum inclinatum. Quem tamen, nisi prius recuperata recta valetudine, declarare non potero. Me in gratias Ill. mae et Rev.mae Dominationis V.rae iterum et iterum diligentissime commendo. Datum Warszowiae 30 Novembris 1566.

Ill.mae et Rev.mae Paternitatis V.rae

(^a-servitor Nicolay Wolski, Wladislaviae et
Pomeraniae epus, manu sua^a)

^{a-a}) *Autographum.*

N. 29.

**Nicolaus Wolski, epus Vladislaviensis
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Varsaviae, 13 XII 1566.

Scribit se litteras praefigentes terminum ad concordiam tractandam tardius accepisse, concordiae semper studiosissimum fuisse, id quod recuperata valetudine se esse comprobaturum; synodum provincialem non Petricoviae, sed Varsaviae celebrandam esse censet.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 13 f. 18r-20v. In f. 20av vestigia sigilli et inscriptio.

Ill.me et Rev.me Domine etc.

Binas ab Ill.ma et Rev.ma Paternitate V.ra litteras habui, quarum alterae 28 Mensis Novembris die scriptae sunt¹²⁹, alteras ad quartam Decembris datas¹³⁰ accepi. Significat autem mihi utriusque mentem et consilium suum ad componendam controversiam propensissimum. Quo ego studio unice delector. Caeterum mirari satis non sufficio, quae causa Tabellario Ill. mae et Rev.mae Dominationis V.rae earum ad me litterarum perferendarum tardius fuerit, quibus certus dies atque locus ad concordiam tractandam praefigebatur. Venio in eam coniecturam, ut existimem studiose Lovicii id esse factum. Quae sane res per amicos, qui isthic mei sunt, est mihi diligentissime perscripta. Nuntiarunt enim mihi id artificio quodam et [18v] stratagemate accidisse, ne vel ipse pro die atque loco dirimendae controversiae venire, neve mandatarios isthuc meos in eo negotio mittere possem.

¹²⁹ Desiderantur.

¹³⁰ Desiderantur.

Sed fortassis rem eam ex iis Ill.ma et Rev.ma Paternitas V.ra melius nosse poterit, quos pro causae suae defensione Rev.mus Archiepiscopus isthuc missos volebat. Qui si subticuerunt et causam tarditatis responsi atque litterarum mearum non retulerunt, is tamen Tabellarius, quem statim lectis Ill.mae et Rev.mae Paternitatis V.rae litteris dimiseram, rem silentio non praeteribit, sed, ut puto, morae et tarditatis suae causam adferet. Quem quidem ego iam dudum in locum venisse existimo, sed et litterae a me missae indicant nihil illum apud me temporis insumpsisse. Scripsi enim, ad quem diem Varsoviam venerit et quo deinceps tempore a me dimissus sit. Itaque Ill.ma et Rev.ma Paternitas V.ra causam morae et tarditatis istius inde poterit certo perspicere, quam omnino [19r] in me nequaquam convertet, verum ei vitio vertet, cuius culpa accidit.

Quod vero de concordia utrinque componenda attinet, is ego semper sum atque fui, nempe pacis et concordiae studiosissimus, quam omnibus modis perpetuo appetivi et etiam nunc in eadem persto sententia. Citare testes multos nolo, quorum maximam copiam ad manum habeo. Vel ipse Rev.mi D.ni Archiepiscopi frater¹³¹ testimonio mihi esse optimo poterit, quo studio ego pacem atque concordiam appetiverim, qui etiam arbitrum se inter nos posuerat. Quae, ut volebam, quia facta non est, non meo vitio prorsus evenit, verum alieno. Atque utinam ea spes et opinio, quam Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra de Rev.mo Archiepiscopo concepit, non frustretur neque fallat animum eiusdem. Solet enim ille, quod certo sciunt universi, causam ex causa, litem ex lite suscitare, neque ullum coeptis controversiis aut modum aut finem [19v] facere.

Ego, quod de me saepe sum pollicitus de pace deque concordia, idem praestare facto vellem, si per incommodum infirmae valetudinis licuisset, atque huc ipse statim accurrissem, verum eo loco sita est valetudo mea, ut omnes, quoscumque habeo, medici opinentur non me facile ex ista infirmitate neque celeriter levamen morbi et adversae valetudinis capere posse. Quod mihi Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra vitio vertere non poterit, si desiderio animi mei satisfacere nequeo. Recuperata tandem valetudine id comprobabo me, qui semper fuerim, etiam nunc, non mutata sententia, pacis et mutuae tranquillitatis omnino esse cupidissimum.

De synodo quod ad me Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra scribit, cuperem eam cogi et congregari imprimis. Qua de re sententiam meam Rev.mo D.no Archiepiscopo significavi [20r] et iis consiliis acquieturum obtuli, quibus Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra uteretur. Verum consilium meum non est, ut ea celebretur in oppido Petricoviensi, tum quod ad tempus praefixum commode haberi non potest, metuendum enim valde est, ne speciem concilii nationalis prae se ferat, si sub menses praefixos indicetur, tum quod Comitiorum tempus instat, quo maximam hominum copiam conventuram nemo nescit. Itaque si Praelati isthuc pro synodo conveniunt, maximam rerum ad vi-

¹³¹ Arnulfus Uchański (ca 1505-1574), frater aepi Gnesnensis, palatinus Plocensis ab a. 1561.

tam pertinentium discessu suo inopiam relinquunt. Meo quidem consilio rectius multo foret, si Warsoviae colligeretur. Qui locus omnibus Episcopis, Plo-censi, Posnaniensi, Wladislaviensi, Cracoviensi, Ill.mae et Rev.mae quoque Dominationi V.rae et aliis item Ducatus Lituani Episcopis ex aequo et in medio fere cursu positus est, ubi ego etiam [20v] nunc adversae valetudinis incommodo detineor. Ad quam si ipse adcurrere non possum, res tamen factu foret facilius multo heic, quam in alio quovis extraneo loco. At de Synodo id agant, quod rectius et melius videbitur. Ego, quia nec ipse pro Festo S. Clementis¹³² illuc veni, neque quemquam ex meis mittere potui, invaletudo mea, quae me occupavit et etiam nunc occupat, impedimento fuit, tum quod Ill.mae et Rev.mae Dominationis V.rae Tabellarius sero ad me venerat¹³³. Plura non addo. Me in gratias *etc.* Datum Warsaviae XIII Decembris 1566.

Ill.mae et Rev.mae Paternitatis V.rae

(^a-frater addictissimus et servitor
Nicolay Wolski Wladislaviae
et Pomeraniae Epus
manu sua^a)

^{a-a}) *Autographum.*

N. 30.

Instructio de synodo provinciali Iulio Ruggieri data

[Romae, 14 XII 1566]¹³⁴.

Summum pontificem arbitrari vim et momentum synodi provincialis tanta esse, ut magna cum cautela agendum sit. Mandari ergo nuntio, ut hac in re utatur opera et auxilio fidarum personarum, praesertim episcopi Varmiensis (Stanislai Hosii), qui legatus a latere nominatus sit, sicut in adiuncto brevi legi possit. Breve hoc ad arbitrium nuntii tamdiu secretum tenendum esse, donec nun-

¹³² 23 XI.

¹³³ Stanislaus Hosius de hac re Heilsbergae, 14 XII 1566 scribebat ad card. Ioannem F. Commendone: "Mandatarii D.ni Archiepiscopi expectarunt hic octo dies et amplius. Postridie quam discesserant, venit mandatarius domini Vladislaviensis, Caspar ille Jeska [Gasparus Geschkau], qui fuit abbas Oli-viensi, ac petivit extrahi causam hanc ad synodum usque, synodus autem ut ne haberetur nisi post festa Paschatis, quo tempore comitia quoque celebrari deberent. Responsum tulit synodum ante Pascha haberi necessarium fore. Quod autem peteret ad eam reici causam hanc, peteret id in termino per nos prefi-xo, qui futurus est proxima iuridica post festum Epiphaniarum" (or. olim in Città di Castello, AMG, ms. 51 f. 159r-v.).

¹³⁴ De hac datatione vide infra N. 33.

tius existimet tempus idoneum venisse, ut publicetur, si ante initium synodi illud pervenire contigerit. Si tamen inchoata iam synodo pervenerit, communicato prius consilio cum cardinali Varmiensi, nuntium illud publici iuris facere debere. Si synodus Ecclesiae perniciosa esse videretur, eam e vestigio dissolvendam esse, praesertim si de divortio regio, de quaestionibus dogmaticis, de communione sub utraque specie introducenda, de abrogando caelibatu ecclesiasticorum et de lingua vulgari in sacris adhibenda in ea disputaretur. Cavendum atque vigilandum esse, ne saeculares negotiis in synodo tractandis se immisceant, neve synodus ipsa Petricoviae, statim post conclusa comitia, celebretur. Adiunctas esse litteras ad Hosium, quae tunc solum ei tradendae sint, cum breve nominationem in legatum continens iam obtinuerit. Annexa esse praeterea 6 brevia, quibus postulatur, ut Hosio fides in omnibus adhibeatur, et sex, quibus nuntius ipse commendatur. Prudentiam et cautelam nuntio commendari.

Cop.: AV, Misc.Arm.II, ms. 82 f. 267r-270-v (ex secretariatu summi pontificis).
Charta in medio folii omnino consumpta et abrupta.

Instruzione per il Nuntio di Polonia mandatagli in cifra^{a)}.

L'attione del Sinodo Provinciale nel Regno [d]i Polonia è di tale importanza per gli accidenti che ne potrebbon succedere che, mentre si tratta di convocarlo, N.ro Signore ha giudic[ato] esser necessario ch'io proponga a V.ra Signoria alcune considerationi fatte da Sua Santità sopra questa celebratione, accioché essaminate ch'ella le havrà essattamente con la prudentia sua, possa elegger quel partito mig[liore] più spe[diente, per la conserva]tion della Religion Catholica et per la [dignità di questa Santa] Sede, parerà allei che si truova in fa[vor].

Dico adunque che, essendo stato sempre [di parere N.ro Signore che] la presentia di Mons. Ill.mo Varmiense a quel [Sinodo] fosse necessaria per ogni ris[petto, l'ha deputato nuovamente] Legato Apostolico de latere, [.....] di questa celebratione solamente con l'intervento insieme della persona di V.ra Signoria, sicome potrà vedere per la copia dell'alligato breve di essa deputatione¹³⁵. Il qual breve arrivando per avventura in tempo che non si parli più di Sinodo, ovvero che non s'habbia da congregar [267v] così presto come si pensava, non accaderà presentarlo altramente, anzi dovrà V.ra Signoria celare questa intentione di Sua Santità a Monsignor Ill.mo prefato et a tutti gli [altr]i con molta secretezza, finché il bisogno s'appresenti di publicarlo.

¹³⁵ Registrum huius brevis, 7 XII 1566 dati, cuius vigore card. Hosius nominabatur legatus a latere in synodo provinciali celebranda, invenitur in AV, Arm. 44, ms. 7 f. 177r.

Ma se arrivasse in tempo che già fosse congregato, et si sperasse ancora più presto qualche bene che si dubitasse di pericolo alcuno, potrà conferir col Cardinale [et porgerli il detto] breve, considerando [unicamente se per q]uesto possa impedire in modo alcuno il buon pro[gre]sso del Sinodo. Onde si dovranno rissolvere po[di di publicarlo o] no.

Et quand[o g]iudicassero [che] ci fosse qualche pericolo, al quale si potesse [trovar rimedio con] la publication di detto breve, cioè indirizzando con l'autorità del Legato le cose a miglior fine, ovvero disturbando et dissolvendo il Concilio affatto, in questo caso ancora dovranno presentarlo, servendosi de gli altri brevi che verranno con questa, accioché possino o essortar quei Vescovi a far ogni opera possibile per la essecution dei decreti [268r] del sacro Concilio di Trento, se pur vedranno le cose caminare a questa via, ovvero debbino comandar a tutti in virtute sanctae obedientiae a dissolverlo, vedendo i lo[ro] [dise]gni esser contrarii all'intention di N.ro Signore in questa parte, benché ogni cosa si habbia prima a tentare con modi honesti, che di venire a questo atto violento. [Se non sarà congregato, non... detto] breve, ma sia però in procinto di congreg[are, do]vrà considerer bene non solamente gli articoli [che saranno da propo]rre, perché con le parole ambigue o generali potrebbero f[acilmente] portar occasione di qualche novità notabile. Ma vedrà ancora di scoprire qual sia la mente dei Vescovi principalmente, et poi del Clero, facendo anco fra se stesso giuditio, quanto se ne potesse prometter certamente in un punto preso, et cercar di sapere in particolare l'animo, così dei Vescovi come del Clero, circa il decreto de pluralitate et residentia. Il quale è tanto abhorrito generalmente da esso Clero.

[268v] N.ro Signore è di opinione che non si debba venire alla dissolution del Sinodo scopertamente se non in questi tre casi infrascritti, cioè quando si potesse [con ragione sos]pettare che in esso si havesse disegno di trattar il negotio del divortio della Regina, ovvero quando si pensasse d'introdur qualche nuova disputa o trattato sopra i Dogmi; et per terzo ogni volta, che si procurasse per via di dom[anda.....] Sede Apostolica, di parlar in [materia] del calice, del connubio et della lingua [vernaculare e cose si]mili¹³⁶. I quali particolari furon già posti [nelle commissioni] de i Nuntii che dovevano andare al Sinodo Provintiale di G[n]ezna, per quanto si è saputo da poi. Perché se ben N.ro Signore tiene i due primi capi esser di maggior importantia, non di meno questo terzo ha tante conseguenze, che si può dir rissolutamente che per se stesso entri nel secondo. Onde sicome Sua Santità giudica che in tutti gli altri casi di pericolo di qualche disordine si habbia da impedire con molta secretezza, o almeno differir destramente, [269r] perché si dia ombra mai a persona, et specialmente a quelli che non intendono i secreti artiftitii et i mali disegni d'alcuni contra la Religione, che tal impedimento o dilatione si dica esser nata di consentimento suo, così le ricorda ancora a opporsi ne i tre sopradetti casi arditamente et appertamen-

¹³⁶ Cfr. N. 1 et 4.

te, senza rispetto alcuno di persone. Et valendendosi di quei brevi credentiali in tal bi[sogn]o giu[nta]me[n]te con Mons. Ill.mo Varmiense, dovrà commanda[r....] di quei Prelati, col precetto detto di sopra, a dissolverlo et [.....] quanto sopra.

Et in ogni caso V.ra Signoria haverà da conservarsi l'[a]micitia d'alcuni Vescovi, de quali se ne possa assecurare d'haverli in sua compagnia, o nella continuation del [Sinodo], procedendo bene, overo nella dilatione, o dissolutione ancora bisognando.

Pare ancora a N.ro Signore cosa di molto momento il considerare non solo il pericolo che possa portare il Sinodo ognivolta che sia mal incaminato, ma ancora che frutto se ne possa ragionevolmente [269v] sperare, perché se giudicassero rissolutamente che non si potesse cavar frutto alcuno, o che alla fine non si avesse a venire ad alcuna essecutione delle riforme o decreti, che in quel Sinodo si fossero fatti, sarebbe bene a giuditio di Sua Santità che, restringendosi insieme col Sig. Cardinale, si discorresse di quanta importantia potesse esser la perdita che si farebbe affatto di tutta la reputatione dell'Ordine Ecclesiastico in Polonia se questo seguisse. Onde potranno da questo ris[pettivamente] regular le attioni loro circa il congregare, overo no, il Concilio.

Si haverà ancora da [fa]r ogni opera di non lassar intervenire a questa celebratione di Concilio persone laice. Si come dovrà similmente resistere, bisognando, perché gli Heretici non vi siano chiamati, non essendo approbata in modo alcuno da N.ro Signore la presentia di questi in atto simile.

Et perché si ha da evitare in tutti i modi possibili questo scoglio del Concilio Nationale in quel Regno, havrà da metter [270r] gran cura et cercar diligentemente di sapere, se a questa Sinodo dovrà seguitare immediatamente la Dieta di Petricovia, perché una continuatione di questa natura in simile stagione potrebbe facilmente svegliare de mali humori in molti, i quali pensarebbono di valersi di questa occasione del tempo in pregiuditio della Religione et della fede catolica. Di che tanto più si haverebbe da dubitare, quanto più si sapesse di certo la Dieta doversi celebrare nel m[edesimo] luogo del Concilio prefato. La qual continuatione s'havrà da impedire al meglio che si potrà.

Si manda ancora con questa in man di V.ra Signoria una mia lettera per Mons. Ill.mo Varmiense, la quale non si havrà da presentare, se non in caso che si presenti ancor il detto breve della deputatione.

Et per instruction sua saprà similmente che se le mandano XII brevi credentiali, sei cioè in persona di Monsignor Ill.mo prefato, et sei altri in persona di V.ra Signoria¹³⁷, accioché secondo le occasioni che potranno venire, o unitamente, o separatamente possino fare [270v] il medesimo offitio con quei Vescovi o per rimediare a qualche disordine che potesse nascere, overo per dissolver del tutto il Sinodo, se la necessità del negotio il ricercasse. Il

¹³⁷ Brevia haec ad aepum Uchański et ad episcopos Poloniae die 10 XII 1566 data, inveniuntur in registro AV, Arm.44, ms. 7f. 180r-182r.

che però se rimette al giuditio et consiglio di V.ra Signoria et alla prudentia et bontà di Monsignor Ill.mo Varmiense, nei quali Sua Santità confida tanto per tutti i sopradetti rispetti, che con la presentia loro in cotesto Regno et in simil occasione, come è la presente, si va pur con[...]lando di poter vedere con l'aiuto del Signor Dio, qualche buono esito di così grande et importante impresa. Il quale piaccia a Sua Divina Maestà di concedere per beneficio di quelle anime et stabilimento della Religion catholica in quel Regno et a laude et gloria del suo Ss.mo Nome.

a) *Sequitur erronee alia manu adscriptum: 1567*

N. 31

Iacobus Uchański
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri

Lovicii, 16 XII 1566.

Gratias eis agit pro responso, quod in causa eius litis cum epo Vladislaviensi ipsi dederunt, et petit, ut causa haec quam primum terminetur. Disserit de necessitate synodi provincialis convocandae, ut reformatio Ecclesiae Polonae fiat ad normam Concilii Tridentini et secundum placitum pontificis.

Or.: Kraków, B.Cz, ms. 1607 IV p. 1309-1311. In p. 1312 annotatio: "redditae 22 Decembris 1566, responsum 23 Decembris Heilsbergae", inscriptio et vestigia sigilli.

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 158-160.

Ill.me in Christo Pater et Rev.mae Dominationes etc.

Quicquid Rev.dus D.nus Gaspar Jasko cuiuscunque nomine egerit, sive petierit apud Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras post terminum, mihi et Rev.mo D.no Wladislaviensi per litteras V.rarum Ill.mae et Rev.marum Dominationum praefixum¹³⁸, non admodum curo, praesertim cum ridiculum illud mecum reputo, quod huius controversiae tractationem inter me et se Rev.dus D.nus Wladislaviensis¹³⁹ in illum diem referri voluit, quo Synodus haberetur. Nam perinde id mihi sonare videtur, quasi apud Latinos ad Graecas Callendas et apud nos Polonos na Zielone Świątki diceretur. Iam enim ex litteris ipsius Rev.mi D.ni Episcopi Wladislaviensis, quas videndas illis transmiseram, Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae vident clarissime,

¹³⁸ Vide N. 29 annotationem 133.

¹³⁹ Nicolaus Wolski.

quando ipsam Synodum nostram haberi cupiat et suadeat. Itaque non possum non vehementer probare et laudare negationem seu excusationem Ill. mae et Rev.marum Dominationum V.rarum et integritatem, ex qua profecto video, quae in ea causa responderunt¹⁴⁰. Quo nomine immortales gratias Ill. mae et Rev.mis Dominationibus V.ris ago et habeo.

Quanquam autem et Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae pro sua sapientia et humanitate adhuc inficiantur occasionem, quam Rev.mum D.num Wladislaviensem libenter arripuisse audio, prorogandi huius negotii, dum neque sumptum, neque molestiam, neque laborem ullum se recusaturas praeseferunt, si inter nos de certo aliquo loco, in quo praesentes adsimus, convenerit, tamen mihi iam omnino constitutum est, sicut Ss.mi Domini Nostri ita et Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum omnibus mandatis in hac causa parere et ad locum ac tempus, denuo per citationem illarum mihi praefixa, accedere, sive per me sive per mandatarios meos, non dubitans fore, quin Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae iam tandem pro sua aequitate, [1310] iuxta commissionem et mandatum Ss.mi Domini Nostri, causam hanc in eisdem statu et terminis, in quibus ad praesens reperitur, cognoscere et iam, prout via iustitiae suaserit, decidere ac terminare dignetur, neque dilationibus ulterioribus me cum meis involvi et magis implicari sinant, ac incrudescere magis quam leniri tantum inter nos discordiae malum patiantur, nisi nos mutuis odiis conflagrare, et tandem sive in synodo provinciali, sive in Comitibus regni ambos pariter, vel omnino alterum nostrum perire sustineat.

Quod autem ad Synodum attinet, exspecto consilium ac imperium Ill. mae Rev.marum Dominationum V.rarum. Puto enim satis me iam aliquoties de sententia Rev.morum Dominorum meorum maiorum suffraganeorum Ill. mam ac Rev.mas Dominationes V.ras informasse; ad quos, sicut officium meum postulabat, mature quidem de tempore et loco Synodi, quae ei praestituere vellent, retuleram, sed quam tempestive, quidve sententiam rogati responderint, iam pridem Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris perscripsi¹⁴¹, et quid sentiant ex hoc non difficile conicio, quod nomine alterius apud Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras petitum est, videlicet ne Synodus ante mensem Aprilem haberetur. Eodem accedere videtur, quod Sacra Regia Maiestas petenti mihi, ut vellet Synodum nostram, sicut promisit, ratam et gratam habere, et suum more solito nuncium seu Oratorem ad eam, pacis et tranquillitatis causa, mittere, respondit per Rev.dum D.num Ioannem Radogoski, Secretarium suum¹⁴², cuiusque hac de re in autographo descripta verba Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris mitto¹⁴³, ut planius et plenius perspicere et consulere valeant, quid me facere conveniat aut oportet.

¹⁴⁰ Littere desiderantur.

¹⁴¹ Cfr. supra N. 27.

¹⁴² Ioannes Radogoski († 1571), ab a. 1552 canonicus Lancienciensis et secretarius regius, 1563-1564 illustrator bonorum regionum in Prussia.

¹⁴³ Desideratur.

teat. Nam altera ex parte video Ss.mum Dominum Nostrum inter alia vehementer apostolicis adhortationibus et coram Deo obtestationibus instare atque urgere, pro sua summa in Ecclesia Dei autoritate, sollicitudine et cura omnium [1311] Ecclesiarum ac divina sapientia, ut in Synodo Dei Omnipotentis honori serviamus et necessitati Ecclesiarum nostrarum provideamus, ordinantes et reformantes in Ecclesiis n.ris quicquid iuxta ea, quae in Oecumenico Tridentino Concilio sancita fuerunt, constituendum ac reformandum esse cognosceremus et saluti commissarum nobis ovium utile fore intelligeremus, quemadmodum litterae Suae Sanctitatis, per Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras mihi missae, de his et aliis fusius resonant¹⁴⁴.

Itaque illud mihi restare videtur, ut Ill.mae et Rev.mae Dominationes V.rae pro sua dignitate, autoritate et Sedis Apostolicae maiestate, quemadmodum eis assentiuntur, quae illis placent, eadem probant et commendant, ita non dubitent, neque vereantur his, quae displicent, resistere, ipsaque reprehendere ac reprimere, nosque pariter omnes admonere, ne Ecclesiae Dei et Ss.mi Domini Nostri mandatis operam nostram subtrahamus. De reliquo me et servitatem meam Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris plurimum commendo, quas optime et felicissime valere ex animo opto. Datum Lovicii, XVI Decembris Anno Domini 1566.

(a-Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum

Servitor obsequentissimus
Iacobus, aepus Gnesnensis^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

N. 32.

**Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri**

Romae, 4 I 1567.

Scribit se ad epistulas eius mense Augusto datas respondisse ac mirari haec responsa sua in tempore non advenisse; superiores litteras eius pontifici referre se nondum potuisse; cardinali Varmiensi separatim se esse scripturum.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 3r.

¹⁴⁴ Cfr. N. 24.

Molto Rev.do Signor come fratello¹⁴⁵.

Rispondendo in prima al conto delle lettere sue d'Agosto in qua, le quali accusa in quest'ultima de 30 di Novembre, dico che si hebbero quelle de 15 et 22 d'Agosto et gli fu anco risposto con una mia de 14 di Settembre, con la quale le mandai ancora li brevi per la convocatione del concilio provinciale, per suo aviso. L'altra sua de 24 di Settembre si hebbe similmente et le risposi a 2 di Novembre et a quelle de 12 et 23 d'Ottobre le risposi medesimamente all'ultimo di Novembre. Nel qual mese si son ricevute tutte le sue ch'ella accusa, cioè del 1, 4, et 13, alle quali mi ricordo haver risposto a ciascuna al suo tempo a 7, 14 et 21 Dicembre¹⁴⁶. Le quali risposte io ho sempre mandato a Venezia in mano di Mons. nuntio¹⁴⁷, pensando che le mandasse a buon ricapito et securamente per la medesima via ch'ella ha ricevute sin qui le altre mie precedenti. Onde non posso se non maravigliarmi assai della tardanza di tante lettere mie, le quali V.ra Signoria non mi avisa haver ricevute a quest'hora. Et havrò caro ch'ella ne faccia qualche diligentia costà per saperne la causa, accioché la persona sappia come governarsi per l'avenire.

Per questa volta non ho che rispondere alle sue ultime, non le havendo per ancora potute conferir con N.ro Signore, per esser giunte hoggi assai tardi. Intanto V.ra Signoria bascerà le mani per me a Mons. Ill.mo Varmienese¹⁴⁸, finché io le faccia riverenza per lettere particolari. Ch'è quanto mi occorre. Offerendomi a lei di continuo.

Di Roma, 4 di Gennaio 1567.

N. 33.

**Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri**

Romae, 11 I 1567.

Refert de quadam coadiutoria capituli Varmiensis. Nuntiat pontificem cardinali Varmiensi facultates amplificasse; foundationem collegii Societatis Iesu Braunsbergensis pontifici placuisse, sicut etiam memoriale ipsius Iulii Ruggieri super supradicta coadiutoria.

¹⁴⁵ Epistulam hanc scribit Michael Bonelli († 1598), dictus Alexandrinus, nepos Pii V eiusque a secretis, cardinalis ab a. 1566. Cfr. AV, Arm. 42, ms. 25 f. 232r-235r.

¹⁴⁶ Omnes epistulae hic enumeratae desiderantur. Nullae omnino relationes ab ipso Iulio Ruggieri Romam missae nobis innotescunt.

¹⁴⁷ Ioannes Antonius Facchinetti (1519-1591), epus Neocastrensis ab a. 1560, nuntius Venetiis 1566-1575, postea summus pontifex Innocentius IX (1591).

¹⁴⁸ Stanislaus Hosius.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 2r -v.

Molto Rev.do etc.

In risposta della sua dell'ultimo di Novembre et dell'altra ancora, scritta in comune con Mons. Rev.mo Varmiense¹⁴⁹, mi occorre dire al presente che Nostro Signore ha laudato il capitulo Varmiense quanto a non haver voluto admettere l'appellatione di quei due canonici. I quali, se vorranno proseguir-la qua, come par che intendino ^(a-di fare-a), per quel che V.ra Signoria Rev.ma scrive, non saranno ascoltati in modo alcuno, dispiacendo assai a Sua Santità questi modi simili di procedere delle persone ecclesiastiche [sic], le quali tanto più meritano biasmo et reprehensione, ancora non havendo voluto admettere quella coadiutoria, concessa da Pio 4^o, sanctae memoriae. In che il Signor [N.ro] mostra d'esser molto ben soddisfatto di Monsignor Ill.mo prefato, poichè in questo particolare non consente con loro, sicome sarebbe al contrario di quel canonico, se accettasse l'admissione da quei canonici. Nel qual caso Sua Santità non lo reputerebbe legittimamente fatto canonico per avviso suo¹⁵⁰.

Quanto al desiderio di Mons. Ill.mo Varmiense di poter conferir ordini et benefitii con facultà più ampla etc., N.ro Signore havrebbe voluto che quelle tali persone si fossero mostrate degne di quelle gratie che si concedevano loro, con la perseveranza della buona vita, continuata per tre o quattro anni al più, per prova della constantia loro. Ma è tanto grande l'opinion che ha Sua Santità della bontà et retta intention di Sua Signoria Ill.ma, che non fa difficoltà in questo caso di concederle, che se [2v] le parerà lungo il termine di tre o di due anni almeno, possa abbreviarlo ad un solo, ad ^(b-arbitrio suo-b), poichè così giudica essere spediente per il servitio di cotesta provincia¹⁵¹.

¹⁴⁹ Stanislaus Hosius. Epistulae, quarum hic est mentio facta, sicut et aliae, non inveniuntur.

¹⁵⁰ In hoc negotio coadiutoriae Bartholomaei Plemiński († 1595, ab a. 1554 canonici Culmensis, ab a. 1567 canonici Varmiensis), exstat sequens memoriale: "Warmiensis. Coadiutoriae. D.nus Bartholomaeus Plemnoczi [sic] deputatur coadiutor de consensu, cum futura successione, quondam Alberto N. [sic], dum viveret canonico Warmiensi, ad canonicatum praefatum, pontificatu felicitis recordationis Pii PP. IIII. Super coadiutoria huiusmodi litteras apostolicas obtinuit cum derogatione mensium ordinarii collatoris etc. et omnium statutorum ac iurium et privilegiorum ecclesiae per clausulas generales in forma amplissima. Adhuc superstite Alberto coadiuto comparuit d.nus Bartholomaeus praefatus coram capitulo et canonicis et instetit [sic] pro possessione, iuxta formam litterarum praefatarum. Tradita sibi fuit possessio instrumentalis ad officium coadiutoris, et absque praeiudicio iurium Ecclesiae. Defuncto deinde dicto Alberto in mense Augusto, comparuit d.nus Bartholomaeus pro reali possessione canonicatus et praebendae etc., iuxta formam litterarum. Capitulum et canonici renuerunt, allegantes coadiutum obiisse in mense ordinarii, idcirco vigore concordatorum inter Sedem Apostolicam et Germaniam, quibus per clausulas generales praetendunt non esse derogatum, ad ipsos tamquam ordinarios collatores spectare ius eligendi. Cum tamen nec scriptis ostendant ecclesiam Warmiensem gaudere privilegiis concordatorum Germaniae, et in litteris sit derogatum mensibus ordinarii et privilegiis ecclesiae Warmiensis, ut supra dictum est" (AV, Nunz.Pol. 1 f. 10r).

¹⁵¹ Pius V Stanislaus Hosio petenti concessit (circa 28 V 1566): "quod [...] ordinet in sua dioecesi ad sacros, etiam presbyteratus, ordines, eos qui in universitatibus suspectis [...] studuerint, [...]; illos vero, qui in haeresim prolapsi fuerint, [...] concessit Ss. mus D. nus Noster [...] absolventi, [...] dummodo ad sac-

Si è inteso con molto piacere di N.ro Signore la fondatione secura del collegio de Iesuiti in Braunsperga¹⁵², di che ne sia ringratiato il Signor Dio. Gli è piaciuto similmente assai l'avisio della coadiutoria. Et così dovrà usar per l'avenir di fare, senza rispetto di persona del mondo, dove può credere d'avisar cosa di satisfattion di Sua Santità, come sono queste di simil natura, non lassando anco di dirle in questa materia che il suo memoriale sopra questa coadiutoria si è messo in considerazione d'alcune genti della corte, per dargliene poi conto [per] primo ordinario, più rissolutamente che non posso far adesso.

Stiamo aspettando avisio da lei della ricevuta della spedition ch'io le mandai a 14 del passato per conto del sinodo provinciale di Polonia¹⁵³. Dintorno a che non ho che dirle altro che quel medesimo ch'io le scrissi con quelle, alle quali mi rimetto, offerendomi allei [sic] di continuo con questo fine. Di Roma, a XI di Gennaio 1567.

a-a) *Scriptum supra lineam.*

b-b) *Supra expunctum: a instantia sua*

N. 34.

Card. Stanislaus Hosius et Iulius Ruggieri Sigismundo Augusto regi Poloniae

Heilsbergae, 14 I 1567.

Petunt, ut monialium monasterii Gedanensis S. Brigidae propugnationem suscipiat.

ros ordines non promoveantur, nisi lapso aliquo tempore, saltem per triennium, infra quod constare possit, quod vere poenituerint et in catholica religione se constantes exhibuerint" (Ehrenberg IB, p. 31).

¹⁵² Braunsberg, Polonice Braniewo, oppidum in Varmia. De initiis huius foundationis vide Załęski IV/1-9, Eichhorn II, p. 294-300. Ad rem pertinet, quod scripsit Franciscus Borgia generalis SJ ad viceprovincialem Franciscum Sunyer Romae 27 VII 1566: " Pare che l'Ill.mo Cardinale Varmiense desidera che V.ra Signoria si trovi in Prussia [sic], quando il nuncio [159v] di Sua Santità andarà là per vedere di dar effetto alla fundatione di quel suo collegio, et non pare questo se non bene a N.ro Padre Generale" (reg.: Roma, ARSI, Germania 106 f. 159r-v). Erectio primitiva collegii Braunsbergensis per card. Stanislaum Hosium facta est in castro Heilsberga die 21 VIII 1565 (v. J. Obłąk, p. 27-29), innovatio erectionis et ampliatio dotationis per eundem, praesente nuntio apostolico, die 16 XII 1566 XII 1566 (ibidem, p. 29-31).

¹⁵³ Haec expeditio continebat i. a. instructionem nuntio datam (vide supra, N. 30), breve pontificium Romae 7 XII 1566 datum, cuius vigore card. Stanislaus Hosius nominabatur legatus Sedis Apostolicae in provinciali synodo Gnesnensi celebranda (cfr. N. 30), item breviam ad aepum Uchański et aliud ad episcopos Poloniae (cfr. N. 30) necnon litteras credentiales pontificis ad Hosium in personam nuntii, 10 XII 1566 datas, quibus Pius V scribit: "Dilectus filius magister Iulius Rogerius, Apostolicae Sedis notarius ac nuntius noster, quibusdam de rebus mandato nostro tecum aget, quae ad celebrationem synodi provincialis istius regni pertinent. Quibus de rebus petimus, ut fidem eius orationi habeas, et quicquid nostro nomine tibi proposuerit, id ita accipias, ut si voluntatem nostram ex nobis ipsis cognovisses, idque in virtute etiam sanctae obedientiae abs te requirimus" (ed. Ehrenberg UA, p. 232).

Min.: Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 14 f. 2r, cum annotatione: "Regi Poloniae communes cum Nuncio apostolico, 14 Ianuarii 1567 Heilsbergae". Ibidem eadem de re: "vicecancellario Regni".

-Ed.: Glemma OKDG, p. 31-32, 104-105.

Sacra et Ser.ma Regia Maiestas.

Sunt adhuc reliquiae Christianorum in civitate Maiestatis V.rae Gedanensi, Deo dictae virgines quaedam in monasterio S. Brigidae, quae magnas persecutiones patiuntur ac de possessionibus etiam quibusdam suis in dubium vocantur, quas 148 annis pacifice se possedissee narrant¹⁵⁴. Cum autem Sacrae Maiestati V.rae dictum sit: Pupillo et orphano tu eris adiutor¹⁵⁵, et ad eam defensio bonorum Ecclesiasticorum ac Deo dicatarum personarum praecipue pertineat, maiorem in modum a Maiestate V.ra petimus, ut a Deo sibi, mandati muneris memor, virginum harum propugnationem suscipiat, nec eas ab importunis hominibus vexari patiatur, quo diligentius, quietam et tranquillam vitam agentes, Deum pro diuturna incolumitate felicique successu Maiestatis V.rae precari possint, a quo mercedem uberem huius pietatis suae consequetur. Quem et nos precamur, ut annum hunc ineuntem V.rae Maiestati faustum, felicem et fortunatum esse velit. Cuius nos Regiae gratiae qua summa possumus animorum submissione commendamus.

N. 35.

**Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri**

Romae, 18 I 1567.

Scribit se ad superiores eius litteras mox esse responsurum; separatim commendat patres mendicantes contra gravamina ex parte epi Cracoviensis ipsis imposita.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 4r.

Molto Rev.do etc.

L'ultime di V.ra Signoria sono de 13 del passato¹⁵⁶, per aviso alle quali farò breve risposta questa volta per non haver havuto commodità a mio modo fin questo giorno di conferirle con N.ro Signore, sicome farò quanto prima po-

¹⁵⁴ Villam Witomino ab anno 1419 possidebant.

¹⁵⁵ Ps. 9, 34.

¹⁵⁶ Non inveniuntur.

trò et gliene darò poi conto col primo ordinario, piacendo al Signor Dio. Intanto sopra che ad insta[nza] dei Padri Mendicanti ho scritto a V.ra Signoria una lettera particolare in raccomandation loro¹⁵⁷, ordinandole in nome di N.ro Signore a far opera al Vescovo di Cracovia¹⁵⁸, che non faccia aggravii a detti frati, né levi l'autorità ai Padri Generali degli ordini, come s'intende che fa. Il che voglio haver replicato con questa ancora per significarle tanto più espressamente^{a)} questa esser cosa da non negligerla in modo alcuno. Ch'è quanto mi occorre per hora, offerendomi allei di continuo con questo fine. Di Roma, a 18 di Gennaio 1567.

^{a)} *Correctum ex*: espresso che

N. 36.

**Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri**

Romae, 18 I 1567.

Mandat, ut epum Cracoviensem, qui potestatem indebitam in fratres mendicantes sibi usurpat, eius rei admoneat.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 5r.

Molto Rev.do etc.

Altre volte fu scritto al tempo di Paolo III felicis memoriae¹⁵⁹, secondo che mi è stato detto, al vescovo di Cracovia¹⁶⁰, che si dovesse astener di far aggravii o insulti ai frati mendicanti della sua diocesi. Il che essendo pervenuto a notitia di N.ro Signore, che non solo non (^a-è stato-^a) eseguito da lui, come doveva, per il passato, ma che al presente ancora si usurpa l'autorità dei generali delle religioni affatto^{a)}, onde Sede Santa vuole che, (^a-essendo questo avviso vero-^a), V.ra Signoria l'essorti in nome suo, et lo amonisca a non proceder di questa maniera con i religiosi, i quali devon più presto ricever della sua mano aiuti et favori che ingiuria o male alcuno. Dal qual offittio, se pur se ne cavarà qualche frutto, me ne darà poi avviso V.ra Signoria con sua com-

¹⁵⁷ Cfr. N. 36.

¹⁵⁸ Philippus Padniewski

¹⁵⁹ Pontifex maximus a. 1534-1549.

¹⁶⁰ Petrus Gamrat (1487-1545, a. 1535 epus Premisliensis, a. 1538 Plocensis, ab a. 1538 epus Cracoviensis et ab a. 1541 simul aepus Gnesnensis), vel Samuel Maciejowski (1499-1550, a. 1539-1541 epus Chelmensis, a. 1541-1546 Plocensis, ab a. 1546 Cracoviensis).

modità. Alla quale, non me occorrendo altro, mi offero di continuo. Di Roma, a 18 di Gennaio 1567.

a, a-a) *Adscriptum supra eadem manu.*

N. 37.

Card. Stanislaus Hosius et Iulius Ruggieri Sigismundo Augusto regi Poloniae

Heilsbergae, 18 I 1567.

Petunt, ut de bono pastore parochiae Posnaniensi provideat.

Min.: Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 14 f. 4r, cum inscriptione: "Communes regi Poloniae, 18 Ianuarii 1567, Heilsbergae". Ibidem aliae: "Communes D. no Vicecancellario, 18 Ianuarii" eadem in causa.

Sacra et Ser.ma etc.

Sunt adhuc plusquam 7000: in civitate Sacrae Maiestatis V.rae Posnaniensi, qui non curvarunt genua ante Baal, sive Izlebii sive Genevae vel ubicumquae tandem natum¹⁶¹. Id ex eo factum est, quod pastorem habuit ea civitas, qui magnam sui gregis curam habuit, nec ulli pepercit labori, dum eius saluti prospicere posset. Nunc is ita laboribus est attritus, ut eos deinceps iam vix ferre posse videatur, cum sit affecta valetudine ac morbis periculosis non raro labore¹⁶². Metuunt autem, qui sunt in ea civitate pii viri, si quid factum de eo Deus voluerit, ne successor aliquis detur, qui nullam gregis, verum lactis et lanae tantum curam gerat. Quales hoc tempore pastores utinam non plures videamus, quam expedit Ecclesiae Dei.

Quamobrem, qui sunt in ea civitate pii catholicique viri, magnopere a nobis contenderunt, ut apud Maiestatem V.ram praeces nostras interponeremus, ut illis de tali pastore provideat, qualis est valetudinarius iste, qui vel cessurus esset praepositura sua quam habet, vel eum saltem sibi coadiutorem assumpturus, qui curam gregis in se suscipere non recusaret. Cum autem ingenti studio sathanas et eius ministri contendunt, ut civitatem illam a Christo abducere et in aliud cuiusvis potius quam Christi evangelium transferre possit, tanto maiore studio laborandum est, ut ea per fideles Dei

¹⁶¹ Lutherum ("natum" in Eisleben), Calvinum ("natum" Genavae) et alios haereticos in mente habet.

¹⁶² Albertus de Wolsztyn († 1571), ecclesiae collegiatae et parochialis Posnaniae plebanus.

ministros in fide catholica retineri queat. Quod ut Maiestati V.rae curae sit, ad quam illius praepositurae iuspatronatus pertinere dicitur, atque ut de bono pastore Ecclesiae illi Collegiatae provideat, maiorem in modum a Maiestate V.ra petimus. Ingentem, cum apud Deum gratiam, tum apud homines gloriam ea re consecutura.

N. 38.

Iacobus Uchański
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri

Lovicii, 23 I 1567.

Iterum refert de lite sua cum episcopo Vladislaviensi, petens, ut tandem ab eis decidatur. Dubitat fore, ut Synodus Provincialis ante Comitia Regni celebretur, ob necessitatem, qua obstringuntur episcopi, conventiculis particularibus praesidendi; timet, ne celebretur in loco, ubi rex comitia exspectare intendit.

Or.: Kraków, BCz, ms. 1608 IV, p. 303-306.

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 166-169.

Ill.me in Christo Pater et Rev.mi Domini etc.

Grandiloquentiam mandatarii Rev.mi domini Vladislaviensis¹⁶³ sicut Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris valde displicuisse intellexi, ita et me graviter percelluit et offendit, non tam mea causa, quanquam non possit non molestum esse, cum sentiam illum Rev.mum olim multis annis clientem, nunc vero suffraganeum meum, mea tam diuturna abuti patientia, quam quod eciam tanta irreverencia atque petulancia non sine dedecore suo maximo et ipsius Sanctae Sedis Apostolicae nonnulla ignominia insurgat adversus Sanctam Apostolicam Sedem, et contumeliosa in illam (ut audio) dixerit, ne dicam blasphema, non pro his utique, pro quibus reverenter agere apud illam fortasse piaculum non esset, pro quibus viri pii et eruditi putant et scribunt posse Ss.mum Dominum N.rum per Episcopum modeste compelli, inter quos eciam legi doctissimum et Sedis Apostolicae observantissimum Alanum Copum¹⁶⁴, sed pro pecunia mihi debita et hactenus per eum negata, iusticiaque per summum Tribunal illius Sanctae Sedis mihi administrata. Fretus certe ille sua audacia, transfert in se illud Psalmi: Linguam

¹⁶³ Vide infra, N. 42.

¹⁶⁴ Alanus Cope edidit a. 1566 Antverpiae *Dialogos sex contra summi pontificatus [...] oppugnatores et pseudomartyres*. Auctor huius libri erat Nicolaus Harpesfeld, archidiaconus Cantabrugensis.

nostram magnificabimus, labia nostra nobiscum sunt, quis noster Dominus est¹⁶⁵? Cui eciam ego adiungo alterum versum in eodem Psalmo exstantem: Disperdet Dominus omnia labia dolosa, et linguam magniloquam. Amen¹⁶⁶.

Quod ad me quidem attinet, in Domino confido, quod invitis eciam portis inferi respondebit mihi aliquando iustitia mea, quam deduxit Dominus etiam in conspectum Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum, tanquam lumen, et iudicium meum, tanquam meridiem. Hinc est, quod portenta ista minarum, quae crepabat per suum mandatarium Rev.mus adversarius meus, nihil moror. Exspecto autem tempus satisfactionis, per Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras praestitutum, quando ita [304] illis visum est sententiam suam temperare, ut tantum temporis adhuc illaberetur ad resipiscendum. Utinam autem, qua integritate, facilitate et alacritate debitum confessus est, suaque manu mecum et cum aliis testibus, nostrisque et aliorum sigillis prolixè et evidentissime testatus est, eadem persolvere iam tandem in animum inducat suum, et quae praeterea mihi meisque damna dedit per iniustitiam et violenciam, eadem saltem ex aequo et bono resarciat. Sed multum vereor, ne hac indulgentia reddatur longe pertinacior et his dilacionibus contumacia illius magis confirmetur, foveatur, crescat et augeatur.

Quod vero Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae iterum atque iterum a me requirunt, ut adhuc viam concordiae ingredi non recusem, profecto, Ill.me et Rev.mi Domini mei, patroni plusquam colendi, satis iam a me datum esse puto Rev.mi Domini Adversarii non solum honori ac dignitati, sed etiam libidini, tantopere grassanti et debachanti. Sed tamen, si fucum mihi facere et fallere, eludere ac insultare mihi, minarique et debachari in Apostolicam Sedem atque eius dignissimos Commissarios desinat (cur enim non res suis nominibus appellem) et ex aequo et bono mature mecum, intra tempus ab Ill.ma et Rev.mis Dominationibus V.ris satisfactioni praefixum transigere velit de his, quibus me ac meos laesit, adhuc non detrectabo, neque refugiam honestam concordiam. Non dubito autem, quin Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae, pro autoritate et singulari aequitate sua, iam tandem miserti mei et afflictæ ac toties iam palam in comitiis, in triviis ac compitis flagellatae iustitiae meae dignabuntur extremam manum huic actioni imponere et exequutionem processuum meorum benigne et clementer promovere, tuerique fortiter tam in Curia Romana, quam in Aula Regia, non ignari mercedis a Domino promissae Iudicibus iustis et his, qui etiam persecutionem paciuntur propter iusticiam¹⁶⁷, cuius speciem etiam Ethnicus admirati mirifice coluerunt, sicut quidem sine Christo sapiens dixisse fertur: Nec hesperum nec luciferum formosiorum esse iusticia. Inde natum [305] credo, quod aliquoties eciam in hac mea causa ab Ill.ma et Rev.mis Dominationibus V.ris ^(a-usurpatum illud in Italia vulgare audio: pereat mundus, et fiat iusticia^a). Sed quid

¹⁶⁵ Ps 11, 5.

¹⁶⁶ Ps 11, 4.

¹⁶⁷ Mt. 5, 10.

ego sus Minervam? Ago autem et habeo gratias immortales pro ea gratia, qua mihi testimonium in Urbe et in Aula dederunt, quod me facilem ad omnia praebuerim. Referre non est opis meae, sed tamen, dum vivam, promereri non desinam tantum hoc ab Illis in me collatum beneficium.

De Synodo intellexi sententiam Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum, partim ex litteris Illarum, partim etiam ex relatione nepotis mei¹⁶⁸, sed iam vix confici posse arbitrator, ut ante Comitium Regni haec Sancta Synodus, toties tentata, commode indici possit, cum ob eas causas, quas per Mandatarios exposueram Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris, tum quod plures in dies accedant, praesertim quod sub hoc idem fere tempus scribatur ab Aula indicendos fore particulares et generales Conventus Ordinis Equestris, quibus non ex officio modo, sub poenis in absentes constitutis, sed ex necessitate Ecclesiarum, cum catholicae Ecclesiae adhaerentibus, propter infringendos vel saltem retundendos haereticorum contra Ecclesiasticos notissimos furores, Rev.mos dominos Episcopos ac me ipsum praeesse oportet.

Praeterea, cum iam quindecima huius mensis Knesinum¹⁶⁹ Sacra Regia Maiestas appulerit, varia opinantur homines de Suae Maiestatis itineris progressu et mora, alii enim aliter sentiunt; quidam sperant Suam Maiestatem bacchanalia Knesini celebrare statuisse et in ingressu Ieiunii Quadragesimae¹⁷⁰ Varschoviam versus tendere velle, ibique immorari fere ad tempus Comitiorum Regni; quidam vero tantum una et altera hebdomada Varschoviae immorari, postea vero Piotrcoviam se conferre. Ita, cum certi nihil habeam et vix me tempestive habere credam, metuo, ne forte incideret Synodus in eum locum, in quo Maiestas Regia constituta fuerit, si ad Calendas Martias¹⁷¹ indiceretur, quod quale sit, Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae iam dudum perpenderunt, meque, quid hic cavere debeam, submonu[306]erunt. Quod si forte casu acciderit, metuo, ne consilio factum esse in suspitionem veniat et multiplex incommodum ac fortasse periculum inde postea emergat, et V.rae Ill.mae Dominationis, domine Cardinalis, desiderio, per nepotem meum mihi significato, non satisfiat. Postremo quia aut iam cognoverunt, aut propediem cognoscent de voluntate Sacrae Regiae Maiestatis in hac Synodo celebranda, et aliis impedimentis, ex his litteris, quae per puerum Nobilis Dębowski¹⁷², Brunsbergam ad capiendam culturam ingenii missum, et per me Ill.mae et Rev.mae Dominationi V.rae, domine Cardinalis, commendatum, ad nepotem meum et dominum Małkowski¹⁷³ datis, quas doc-

¹⁶⁸ Iacobus Woroniecki († 1588), filius Georgii Woroniecki de Zbaraz et Catharinae, sororis Iacobi Uchański, ab a. 1580 canonicus Gnesnensis, ab a. 1584 epus Kioviensis.

¹⁶⁹ Knyszyn, oppidum in districtu Bialostocensi situm, ubi libenter morabatur Sigismundus Augustus rex.

¹⁷⁰ A. 1567 feria quarta Cinerum celebrabatur 12 Februarii.

¹⁷¹ 1 III.

¹⁷² Forte Andreas Dębowski, qui factus est postea castellanus Siradiensis.

¹⁷³ Matthias de Małolin Kalecki (1498-1576), praepositus Trocensis, secretarius regius; vel eius frater Paulus, officialis Plocensis.

tor Broniecz¹⁷⁴ aperire poterit et, sicut ad eum scribo, Ill.mae ac Rev.mis Dominationibus V.ris referre. Quod restat, me et obsequia mea humilia Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris diligentissime commendo et, ut optime et diutissime valeant et felices successus in omnibus habeant, ex animo plurimumque opto et praecor. Datum Lovicii, die XXIII Ianuarii, Anno Domini MDLXVII.

(b- Ill.mae et Rev.mae Dominationis V.rae

servitor obsequentissimus
Iacobus, aepus Gnesnensis,
manu propria^{b)}

^{a-a)}*In ms. linea subductum.*

^{b-b)}*Autographum.*

N. 39.

**Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri**

Romae, 25 I 1567.

Scribit de lite inter nepotem episcopi Posnaniensis et archidiaconum Posnaniensem circa canonicatum Cracoviensem, de resignatione epi Kioviensis obtinenda, de causa coadiutoriae canonicatus Varmiensis ac de controversia inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem quam primum concludenda. Ultimam epistulam cum alligatis litteris cancellarii regni se recepisse nuntiat.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 6r-7r. Ibidem f. 9r-v altera minuta eiusdem tenoris.

-Ed.: Wierzbowski U IV, p. 10 (fragmentum).

Molto Rev.do etc.

Ancorché nell'istruzione che V.ra Signoria portò seco di qua, havesse commission in genere di non permetter mai che la giuridition ecclesiastica fosse lesa in parte alcuna in cotesto Regno¹⁷⁵, tuttavia voglio hora^{a)} ricordarglielo di nuovo in nome di N.ro Signore, col darle informatione ancora d'una materia dove si tratta dell'autorità assolutamente^{a)} di questa Santa Sede,

¹⁷⁴ Ioannes Broniec, medicus Iacobi Uchański.

¹⁷⁵ Cfr. supra N. 4.

benché ancor essa ne dovrà forse a quest'hora haverne havuto qualche notizia. Questa è la lite ch'è fra un nipote del Vescovo di Posnania¹⁷⁶ et l'archidiacono di Posnania¹⁷⁷ per un canonicato di Cracovia, nella quale essendosi pronuntiato tre sententie qui in Roma conformi, et decretati similmente gli esecutoriali contra detto archidiacono, pare che il fisco regio si sia mosso costà per astringere il prefato nipote del Vescovo di Posnania a cedere. La qual cosa, essendo tanto pregiudiziale alla libertà ecclesiastica, quanto ella può da se medesima considerare, non dovrà mancare di far ogni gagliardo offitio con Sua Maestà, perché non habbia da tollerare questi motivi simili del suo fisco. Con la quale da Mons. Ill.mo Com[m]endone si fece opera similmente su quel principio, che si mosse, che non si proseguisse più avanti¹⁷⁸. Onde V.ra Signoria si opponerà ancor essa risentitamente, ^(a- adesso che s'intende essersi mosso di nuovo-a), di maniera che il fisco prefato habbia da contenersi nei termini suoi per esser questa materia di gran momento et che potrebbe tirar seco alla giornata di molte conseguenze, com'ella può vedere.

[6v] Havrà da sollicitare ancora che il Re s'interponga con l'autorità sua col Vescovo di Chiovia¹⁷⁹, perché si rissolva a resignare una volta quella Chiesa. Il che, ^(d-essendo stato già-d) promesso al prefato Mons. Ill.mo Com[m]endone da Sua Maestà, aspetta perciò N.ro Signore di vederlo hora mai, per non haver a venire ad altri rimedii sforzatamente.

Quanto alla coadiutoria del canonicato di Varmia¹⁸⁰, sarà bene che V.ra Signoria domandi al capitolo di Varmia, se tiene che quella Chiesa sia membro dell'Impero, overo del Regno di Polonia veramente. Et in caso che non vogliano obedire a quelle bolle della coadiutoria, operi di maniera che si habbia da loro la dichiaration sopradetta a scrittura, senza sotterfugii di parole o dilation alcuna di tempo, mandandone qui copia et facendo poi in un tempo medesimo offitio col Re, ^(a-con quella scrittura in mano-a), per la essecution di dette bolle apostoliche [sic]. Il che Sua Maestà dovrà anco far volentieri per interesse suo proprio in questo caso.

Non manchi di far ogni opera possibile per terminar la causa tra Gnezna et Cuiavia¹⁸¹ con quella maggior pace et concordia che si potrà tra essi. La quale terminata che sia o esclusa affatto, di sorte che non ci possa più esser

¹⁷⁶ Hieronymus Chojeński, nepos ex sorore Adami Konarski, epi Posnaniensis.

¹⁷⁷ Laurentius Kierski († 1593), IUD, canonicus Plocensis, archidiaconus Posnaniensis iam a. 1558, quando factus est canonicus Cracoviensis.

¹⁷⁸ Pro nepote suo Konarski iam litteris, de Ciążeń 27 I 1566 datis, rogavit card. Ioannem F. Comendone, ut eius causam commendatam sibi haberet, in tanta adversarii pertinacia ac malitia (or. AV, Lett. Principi 27 f. 126r).

¹⁷⁹ Nicolaus Pac, cfr. N. 4.

¹⁸⁰ Cfr. N. 33.

¹⁸¹ In hac causa asservatur supplicatio huius tenoris: "Ss.me et Beatissime Pater. Sanctitati V.rae pro parte devotae illius creaturae Iacobi, aepi Gnesnensis. Dignetur Sanctitas V.ra iterum per litteras cohortari Ill.mum et Rev.mum Dominum Card. Warmiensem et nuntium Sanctitatis V.rae, ut negotium super 5 milia florenorum inter Archiepiscopum et Episcopum Wladislaviensem sine dilatione terminent. Deum optimum maximum pro Sanctitate V.ra idem Archiepiscopus exoraturus est" (or. AV, Nunz. Pol. 1 f. 8r).

speranza d'accordo, V.ra Signoria sene torni in corte, sì per la sopradetta causa mossa dal fisco regio, come per altri bisogni che posson occorrere giornalmente con quella Maestà.

[7r] Questo è quanto mi occorre ricordarle per hora, non havendo gran fatto a darle altra risposta all'ultima^{d)} sua de 13 del passato, ricevuta l'altra settimana, che la ricevuta d'essa et dell'alligata del gran Cancelliere¹⁸², come lo scrissi sabato passato¹⁸³. Intanto sto aspettando con desiderio intender dallei [sic] la ricevuta dell'instructione et d'alcuni brevi, che le mandai a 14 di Decembre, in materia del concilio provinciale per aviso di lei¹⁸⁴. Alla quale mi offero di continuo per fine di questa. Di Roma, a 25 di Gennaio 1567.

a, a-a) *Adscriptum supra.*

N. 40.

**Card. Stanislaus Hosius et Iulius Ruggieri
Iacobo Uchański**

Heilsbergae, 30 I 1567.

Notificant se litem eius cum episcopo Vladislaviensi amice transigere velle; etiam ipsi synodum provincialem differendam esse putant; litteras mittunt, quibus eum summo pontifici commendarunt.

Min.: Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 14 f. 7 v, cum inscriptione: "Communes Aeop Gnesnensi, 30 Ianuari 1567, Heilsbergae".

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 173.

Quod ea fecimus, quae fides et religio nostra per nos fieri postulabat, non est, quod nobis agat Rev.ma Dominatio V.ra gratias. Fecimus enim pro officio nostro, cum nos minime decuerit, neque licitum fuerit eius mandata non exequi, cui non parere est christianum non esse. Itaque cum hac in parte nihil Rev.mae Dominationi V.rae gratificati simus, verum Deum et iustitiam eius prae oculis habentes id, quod facere debuimus, fecerimus, nullam nobis hoc nomine debet gratiam. Quae supersunt, ea quoque non inviti faciemus, cum tempus advenerit, si res ita postulaverit.

Cuperemus autem et nunc amice potius causam hanc transigi. Quam ad rem quod se nunc etiam Rev.ma Dominatio V.ra minus difficilem praebet,

¹⁸² Valentinus Dembiński (1504-1585), ab a. 1564 regni Poloniae cancellarius, ab a. 1567 castellanus Cracoviensis.

¹⁸³ 19 I.

¹⁸⁴ Vide N. 33, annotationem 153.

non possumus non laudare. Magno vellemus emptum, ut altera quoque pars¹⁸⁵ pari suae voluntatis in concordiam inclinatione propenderet, ad quam cum tabellarius noster ante dies 13 a nobis missus sit, nondum tamen rediit, nec quae sit huius absentiae tam diuturnae causa, scire possumus. Utinam ea cogitaret, quae sunt ad pacem. Statim Rev.mam Dominationem V.ram per tabellarium nostrum ea de re certiore redderemus. Sed nec ex aula puer, ^(a-ante dies 11^a) eo missus, rediit, cum tamen bidui tantum hic absit Maiestas Regia.

Synodus necessario iam in aliud tempus reiicienda veniet, quod ita faciendum prudenter etiam iudicat Rev.ma Dominatio V.ra¹⁸⁶. Quamobrem coram ea de re tractabitur melius. Quod vero petit Rev.ma Dominatio Vestra Ss.mo Domino Nostro se litteris nostris commendari, simul illud effici, si quam de illa sinistram concepit opinionem, ut eam deponat, id sedulo^{b)} fecimus et litteras ea de re scriptas Rev.mae Dominationi V.rae mittimus. Nam et in hac et in aliis rebus illi gratificari semper nos promptos et paratos offerimus.

^{a-a)} *Adscriptum in margine.*

^{b)} *Sequitur expunctum verbum illegibile.*

N. 41

**Andreas Noskowski, epus Plocensis
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Zawiszyn, 31 I 1567.

Censet synodum provincialem omnino celebrandam esse; alteram mediationem in lite inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem se tentare velle scribit.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 70 f. 348r-349r. In f. 349v inscriptio et vestigia sigilli.

Ill.mi et Rev.mi Domini, D.ni observandissimi.

Salutem plurimam, obsequiorumque meorum officiosam commendationem. Rev.mus Dominus Aepus Gnesnensis misit ad me nuper litteras Rev.marum Dominationum V.rarum¹⁸⁷, quibus scribunt, quam necessaria sit Synodus Provincialis nostrae huius Provinciae. Ad quam cum mandato Ss.mi

¹⁸⁵ Nicolaus Wolski.

¹⁸⁶ Vide supra N. 38.

¹⁸⁷ Desunt.

Domini N.ri ex constitutione Tridentini Concilii convenire omnes teneamur, neminem certe esse puto adeo rerum temporis huius ignarum et a sensu communi alienum, qui non agnoscat necessitatem Synodi quique non fateatur summe esse necessariam, non tantum propter executionem Decretorum Concilii, quae alioquin causa est maximi momenti, sed etiam propter negotia ecclesiastica huius Regni, quae in quantis versentur periculis nemo est qui non videat. Attamen nescio qua fit adversitate, ut neque eo ipso, quod unicum nobis reliquum est, remedio uti possimus, ut ad Synodum conveniamus et de rebus nostris ecclesiasticis, in dies in deterius labentibus, maturius mutua conferamus consilia, quod iam semel atque iterum tentatum, minime nobis successit. Nescio quem in hoc accusare debeam, nisi infoelicitatem nostram et peccata nostra, quibus fortasse Deus offensus, consilia etiam nostra et conventus nostros aversatur. Nam de nemine suspicari volo, quo sit animo erga hanc Synodum affectus, imo credere malo omnes illam cupere et neminem esse, qui eam non optet videatque libenter, quandoquidem id esset hominis publicae utilitati invidentis et praeter rectam rationem agentis, quae semper tendit ad optima.

Certe, quod ad me attinet, nihil mihi magis est in votis, quam ut [348v] ipsa Synodus me adhuc vivo primo quoque tempore cogatur et pias atque utiles ineat rationes de placanda ira divina, tollendis scandalis et religione Catholica a furore Haereticorum vindicanda, rebus nostris ecclesiasticis in meliorem statum reducendis, ut Decretis Sacrosancti Concilii Tridentini omnino satisfiat; ad quam ego, si me divina benignitas in illud ipsum tempus servare dignata fuerit, licet aetate propecta imbecillioreque valetudine, me libenter affuturum offero. Qua de re iam ego sententiam meam ad Rev.mum Dominum Aepum Gnesnensem perscripsi promptamque et paratam meam voluntatem ad omnia illi declaravi¹⁸⁸.

Video etiam illud Rev.mas Dominationes V.ras sedulo curare, quod et maxime probo atque laudo, quo inter Rev.mum Dominum Aepum Gnesnensem et Epum Cuiaviensem¹⁸⁹ negotium^{a)} quamprimum componatur, ut eo facilius tandem ac foelicius, sublatis intestinis dissidiis, de rebus ecclesiasticis Regni huius labentis ac non prorsus perditis consulere possimus. Sed hoc genus concordiae, tam severum ac praeceps, nunc praesertim et, ut mihi videtur experientia edocto (quod cum bona gratia Rev.marum Dominationum V.rarum dictum a me velim), res et occasio [esset] pessimi exempli. Nam si hoc negotium relatam fuerit ad Synodi sententiam, ut alterum illorum velle intellexi, vereor, ne id maximas aliquas turbas excitet atque pariat cum maximo Reipublicae periculo et pessimo exemplo omnibus temere ac praeceps vel contemnendi vel usurpandi censuras Summi Pontificis; praesertim si hoc idem inter eos negotium [349r] leniori modo possit componi.

¹⁸⁸ Haec epistula desideratur.

¹⁸⁹ Iacobus Uchański et Nicolaus Wolski.

Si itaque Rev.mis Dominationibus V.ris non improbatur hoc meum iudicium, peto ab illis, quo paululum censuras a publicando inhi-beant, dum ego, adhibito secum aliquo magnae auctoritatis viro, experiar, etsi id alias frustra a me tentatum est, utrum id inter eos amice et sine ulla turba componere possim. Qua in re, si probari illis hoc meum studium sensero, dabo omnem operam, quo id, vel etiam collata de meo in id parte pecuniae, praestem atque efficiam. Sed nihil audebo, priusquam mentem et voluntatem Rev.marum Dominationum V.rarum cognovero¹⁹⁰. Precor, ut Deus Optimus Maximus Rev.mas Dominationes V.ras diutissime servet incolumes et felices. Datae in Zavissin¹⁹¹, die ultima Mensis Ianuarii, Anno Domini M^oD^oLXVII^o.

(b-III.mae et Rev.mae Dominationum V.rarum

obsequentissimus servitor
Andreas, Epus Plocensis
manu propria scripsit^{b)})

a) *Adscriptum supra.*

b-b) *Autographum.*

N. 42.

**Nicolaus Wolski, epus Vladislaviensis
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Varsaviae, 1 II 1567.

Scribit se tardius ad eorum litteras respondisse propter tabellarii infirmam valetudinem. Nuntiat mandatarium suum omnino negare se eis acerba quaedam mandata exposuisse. Benedictum Kotarski ad componendam concordiam iterum ad eos mittit.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 33 f. 80r-v. In f. 80av inscriptio et vestigia sigilli.

¹⁹⁰ Sequentibus litteris, de Brocovii (Brok) 12 II 1567, idem epus Plocensis Stanislao Hosio i. a. scripsit: "Adveniens huc ad me Rev.dus Pater Franciscus [Sunyer] SJ exhibuit mihi Rev.mae Dominationis V.rae nomine litteras, una cum processu causae inter Rev.mos Dominos Aepum Gnesnensem et Vladislaviensem Epum, quos Rev.mae Dominationes V.rae in gratiam redigerent ac reconciliarent magno opere cuperem" (or. Olsztyn, ADWO, D 16 f. 3r).

¹⁹¹ Zawiszyn, villa eporum Plocensium ad fluvium Liwiec.

Ill.mi et Rev.mi in Christo patres etc.

Accepi Rev.marum Paternitatum V.rarum litteras et has, quas ad me Benedictus Kotharski, familiaris meus, attulerat, et alias, quae mihi ab earum Tabellario redditae sunt¹⁹². Quibus quia tardius respondeo, in causa est eiusdem Tabellarii infirma valetudo; qui ita pessime affecto corpore ad nos venit, ut propriis viribus ex equo descendere non potuerit, cui omnia ad recipiendam integram valetudinem necessaria subministrari et per meos provideri iussi, ut pristina sanitate recuperata, iterum ad Rev.mas Paternitates V.ras salvus atque incolumis recurrere possit.

Utrisque Ill.ma et Rev.mae Paternitates V.rae significant atque perscribunt mandatarium meum, cum isthic negotiorum meorum curam gessisset, acerba quaedam eis minimeque ferenda mandata exposuisse. Ego vero nihil ex eo ita factum aut dictum discere potui, ut alicui ulcus movere aut stomachum facere possit¹⁹³.

Habui quoque Rev.marum Paternitatum V.rarum Decretum, quo Rev. mus Archiepiscopus in eosdem causae terminos reponitur, in quibus tum fuit, cum negotium verteretur Romae, nisi illi ad decimum octavum mensis Februarii diem iuxta obligationem fuerit satisfactum. Sed quia intra hoc tempus tentandae faciundaeque concordiae spes relicta est, itaque quem antea huc ablegaveram Benedictum Kotharski, eundem etiam nunc mitto, cui ad componendam Rev.marum Paternitatum V.rarum arbitrio concordiam omnimodam facultatem do atque concedo. Quod libenter facio, partim propter res ecclesiasticas, ut ex his malis respirare possint, partim vero etiam, ut omnes homines certum exploratumque habeant me neque olim fuisse neque nunc esse [80v] a concordia alienum, sed pacis mutuaeque benevolentiae observantem; cuius tantopere sum amans atque cupidus, ut eam primo statim tempore vel per ipsam solam Ill.mam Paternitatem V.ram, cui me cognoscendum et iudicandum permisi, fieri desiderem. Opto Ill.mam et Rev.mas Paternitates V.ras diutissime et feliciter valere, quarum me singulari benevolentiae iterum atque iterum commendo. Datum Warschoviae, die prima Februarii 1567.

Ill.mae et Rev.marum Paternitatum V.rarum

addictissimus amicus et servitor
 Nicolaus Wolski, Wladislaviensis
 et Pomeraniae Epus
 (a-manu sua^a)

^{a-a} Autographum.

¹⁹² Desiderantur.

¹⁹³ Cfr. N. 38.

Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri

Romae, 8 II 1567.

Ultimas epistulas suas enumerat, quae reclamandae sunt, Cracoviae et Venetiis. Monitorium in causa duorum canonicorum Posnaniensium mittit exsequendum.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 11r.

Molto Rev.do etc.

L'ultime lettere ch'io ho da V.ra Signoria sono de 27 et 29 di Decembre, le quali accusano solamente due mie, una cioè de 14 di Settembre et l'altra de 12 d'Ottobre. Dovendo essa di ragione haver etiandio avisato la ricevuta d'alcune altre scritte in quel tempo, cioè di quella de 28 di Settembre, di 5 d'Ottobre, di 2 [et] 30 di Novembre, ^(a-avisandola di più haverle scritto^a) a 7 di Decembre, a 14 con una instruttione in cifra et 11 brevi, et a 21 con altri 4 brevi della medesima sorte, a 28 con le facultà del Card. Varmiense, a 4 di Gennaio, a 11, 18 et 25¹⁹⁴. Il qual conto ho voluto far al presente, acciò ch'ella venga in cognitione del danno che noi facemo insieme delle lettere che si scrivono, et perché ella ancora ci provenga dal canto suo per la via del maestro delle poste di Cracovia¹⁹⁵, dove soglion tutte capitare, com'ella sa, sì come ho fatto ancor io dal canto mio in Venetia, donde si partono per cotesta volta.

Con questa sarà un monitorio per quella differentia ch'è tra quei due canonici di Posnania¹⁹⁶, i quali converrà che V.ra Signoria usi ogni essatta diligentia et destrezza per concordar insieme amicabilmente, se potrà, usando etiandio in questo l'autorità et il mezzo di Sua Santità, prima che venir all'intimation d'esso. Di che, havendone essa per avventura quel honore che ha nuovamente havuto di quell'altra differenza di Varmia¹⁹⁷, non occorrerà entrar in altro. Ma non succedendo accordo con quelle pratiche et non ne sperando similmente in modo alcuno, V.ra Signoria non manchi di farglo [sic] inti-

¹⁹⁴ Omnes epistulae anni 1566 hic enumeratae desiderantur, ad reliquas ex anno sequenti, vide N. 32, 33, 35, 36, 39.

¹⁹⁵ Cursus postarum in Polonia administrabatur a. 1564-1568 a Petro Maffone († 1575), Italo, qui officio suo pessimeungebatur.

¹⁹⁶ Vide supra N. 39 et epistulam Adami Konarski, epi Posnaniensis, ad Hosium, de Patavio 21 II 1567: "Ab Ill.ma ac Rev.ma Dominatione V.ra peto, ut suam apud nuncium Apostolicum interponat auctoritatem in negotio nepotis mei; qua de re, quamvis et a Sede Apostolica illi scriptum sit, diligentius tamen aequitati et tranquillitati consulat, cum accesserit Ill.mae ac Rev.mae Dominationis V.rae postulatio" (or. Olsztyn, ADWO, D 15 f. 49r).

¹⁹⁷ Vide supra, N. 33 (annotationem 150) et N. 39.

mare a quel Kersky, come nel detto moni[tor]io si contiene, et rimandarlo poi qua, con la fede dell'intimation a tergo, come si conviene. Alle sue prefate lettere non occorre dir altro in risposta se non laudarla della sua solita diligentia et prudenza negli avisi et pregar il Signor Dio che la conservi sana. Di Roma, a 18 di Febbraio 1567.

a-a) *Adscriptum supra.*

N. 44.

**Iacobus Uchański
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri**

Unieioviae, 8 II 1567.

Iustitiam integram in causa cum epo Vladislaviensi iam tandem sibi administrari petit. Synodum provincialem ante comitia regni celebrari non posse scribit, se enim ipsum ad conventicula particularia Środae et in Koło celebranda iter iam ingressum esse, quibus conclusis statim ad comitia regni proficiscendum sibi sit futurum.

Or.: Kraków, BCz, ms. 1609 IV, p. 81-82. In p. 84 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "redditae 18 Februarii 1567".

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 175-176.

Ill.me in Christo Pater et Rev.mi Domini etc.

Ecce iam tertio ad Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras pro complemento iustitiae mitto. Nam hactenus varie non tentatus modo, verum etiam mirifice postulatus, et tamdiu expectatus Rev.mus Vladislaviensis, adversarius meus, ne specimen quidem ullum edidit animi ad concordiam mecum in eundam propensi¹⁹⁸. Quapropter obsecro et obtestor, ut Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae, pro sua in Deum pietate, religione et animi magnitudine, causarumque meae ac meorum manifesta aequitate, etiam Ss.mo Domino Nostro morem gerendo et mandatis illius parendo, dignentur iam tandem iustitiam integram mihi administrare de adversario meo et litteras de forma iuris, ad obtinendam causam necessarias, remotis ulterioribus comprehendinationibus, benigne tradere, ac pro me, tam apud Ss.mum Dominum Nostrum, quam apud Maiestatem Regiam opem implorare, testata promptitudine mea ad concordiam, toties iam patefacta, ut me summae potestates

¹⁹⁸ Vide tamen supra N. 42, ubi epus Vladislaviensis speciem saltem bonae voluntatis prae se fert.

illae, a Domino constitutae, adiuuare et manutenere dignentur in assecutione eorum, quae mihi meisque Rev.mus Vladislaviensis, optimo et clarissimo iure etiam plenissime convictus, praestare tenetur. Dominus Omnipotens Deus reddet Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris, quod Earum, uti iustorum iudicium, mercedis fuerit, cum mihi per administrationem iustitiae reddiderint, quod meum ac meorum est. Ego vero, si cui usui opera mea aliis Clientibus Illarum, conservis meis, esse unquam potero, libenter navabo, ut aliqua saltem ex parte testari valeam me neque immemorem, neque ingratum beneficii Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum. Sentio enim, quam impar sim ad promerendam gratiam tantam, quantam subortam agnosco et completam iri non dubito.

De Synodo iam Ill.ma et Rev.mae Dominationes V.rae aperte vident ante Comitata Regni nihil agi posse, propter causas antea per me insinuat¹⁹⁹, quae sub hoc tempus suos etiam pariunt effectus, et ego, rebus Ecclesiae ac Reipublicae ita exigentibus, iam iter ingressus sum ad Conuentus, particularem videlicet in Szroda et generalem terrestrem in Kolo²⁰⁰, triduum hic tantum in Uniejow²⁰¹ moraturus, ex Kolo recta Piotrcoviam ad Comitata Regni profecturus. In hoc etiam morem gerere Regiae Maiestati cupiens, ut antequam dies indictorum Comitiorum advenerit, illic me sistam, si Dominus dederit et vixero.

[82] De reliquo me et obsequia mea Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris diligentissime iterum atque iterum commendo. Datum ex Castro meo Unieiov, 8 Februarii Anno Domini 1567.

(a-V.rarum Ill.mae et Rev.marum Dominationum

servitor obsequentissimus
Iacobus, aepus Gnesnensis,
manu propria^{a)}

a-a) *Autographum.*

¹⁹⁹ Cfr. supra, N. 38.

²⁰⁰ Szroda et Koło, oppida in Polonia Maiore, in quibus conventus haberi consueverunt.

²⁰¹ Uniejów, locus residentiae aepi Gnesnensis ad flumen Warta in palatinatu Siradiensi.

N. 45.

Iacobus Uchański
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri

Unieioviae, 12 II 1567.

Nuntiat ad binas litteras eorum se per mandatarios suos respondisse et rogat, ut ipsis nomine suo dicentibus in omnibus fidem adhibeant. Pro commendatione apud summum pontificem gratias agit.

Or.: Olsztyn, ADWO, D 26 f. 33r. In f. 33av inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "18 Februarii 1567; Heilsbergae".

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 177.

Ill.mae in Christo Pater et Rev.mi Domini *etc.*

Tertia noctis hora, ultimum diem Carnisprivii insequentis²⁰², accepi litteras Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum, quae per multas manus perferebantur, quinque fasciculis inclusas. Et quatuor Cracoviam, uti signati erant, mittendos curabo, quintum, mihi inscriptum, cum aperuissem, binas Ill.mae et Rev.marum Dominationum V.rarum ad me datas²⁰³ litteras repperi, quibus visum est potius per mandatarios meos, qui iam itineri accincti erant, quam scriptis respondere, maxime ut mos geratur Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris etiam in eo, de quo me admonuerunt, ut scilicet celerius mandatarii mei ad Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras properarent, et ne ipsi in mora essent, quod fortasse accidere posset, si forte litteris exarandum esset, quod illi perferrent.

Itaque, qua solent benignitate, etiam nunc dignabuntur audire, fidemque his et animum benignum adhibere, quae mandatarii mei nomine meo illis retulerint, ^(a-vehementer oro^a). Referent enim ea, quae de mente mea referenda acceperunt. Ago autem et habeo maximas, quas possum, gratias Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris pro commendatione et testificatione, quas per Ill.mum et Rev.mum Cardinalem Alexandrinum²⁰⁴ apud Ss.mum Dominum Nostrum Romae commode fieri iudicaverunt. Nam cum alias ad Ss.mum Dominum Nostrum litteras non reperissem, puto eas esse, de quibus mihi scribunt. Tandem me et obsequia mea *etc.* Datae ex Castro Unyeiowiensi, ipso die Cinerum, Anno Domini MDLXVII⁰.

(b-V.rarum Ill.mae et Rev.marum Dominationum

²⁰² Die 11 II.

²⁰³ De die 30 I et 5 II, vide supra N. 40. Alterae inscriptae erant soli card. Hosio, cfr. Wierzbowski U III, p. 174.

²⁰⁴ Michael Bonelli.

obsequentissimus servitor
Iacobus, aepus Gnesnensis,
manu propria^{b)}

a-a) *Adscriptum in margine.*

b-b) *Autographum.*

N. 46.

**Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri**

Romae, 22 II 1567.

De causa inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem finita ac de Iulii Ruggieri ad regem profectione nuntium se expectare, et an synodus provincialis hisce temporibus esset opportuna, se dubitare scribit.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 12r.

-Ed.: Wierzbowski U IV, p. 10-11.

Molto Rev.do etc.

Per l'ultima di V.ra Signoria de 14^{a)} del passato, ricevuta insieme con una di Mons. Ill.mo Varmiense, si è inteso in che termine si truovi la concordia o discordia che sia di quei due prelati²⁰⁵, la quale si starà intanto aspettando d'intendere che esito habbia finalmente havuto. Et ch'ella si sia ancora incaminata per la corte²⁰⁶, come mostrava di haver in animo di fare in questa sua, et come io già mi truovo haverle scritto con le mie precedenti altre volte, che dovette fare²⁰⁷. Delle quali desidero haver qualche aviso della ricevuta hoggimai, et massime ai [sic] quelle de 14 di Dicembre²⁰⁸, che per reputarle salve, fra qui non mi son curato alteramente di mandarle il duplicato, siccome sarò per fare, se con le prime io non havrò dallei nuova alcuna del ricapito loro. Le quali contenevano la total determinatione di N.ro Signore in quella materia del concilio provintiale di Polonia. Il quale si ha qualche sospetto qui che non possa esser molto a proposito a questi tempi di cotesto Regno²⁰⁹,

²⁰⁵ Scilicet inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem.

²⁰⁶ Iulius Ruggieri die 21 Martii Heilsberga Braunsbergam profectus est ad aulam regiam iter facturus.

²⁰⁷ Cfr. N. 39.

²⁰⁸ Desiderantur.

²⁰⁹ Vide epistulam card. Ioannis F. Commendone ad Stanislaum Hosium de die 3 XII 1566: "De Provinciali Concilio assentior Dominationi V.rae Ill.mae nullo fructu habitum et utinam non cum aliquo

per dirle questa parola sola a cautela et per dubio che le mie prefate de 14 non siano mal capitate, il che Dio non voglia. L'alligata Bolla è revocatoria²¹⁰, come ella vedrà etc. usque in finem. Con che facendo fine, allei mi offero di continuo. Di Roma, a 22 di Febbraio 1567.

^{a)} *Correctum ex:* 15

N. 47.

**Card. Stanislaus Hosius et Iulius Ruggieri
card. Michaeli Bonelli**

Heilsbergae, 7 III 1567.

Litem inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem via concordiae esse terminatam significant.

Min.: Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 15 f. 4r, cum inscriptione: "Communes cardinali Alexandrino, 7 Martii 1567, Heilsbergae".

Ill.me et Rev.me Domine.

Iam tandem Dei beneficio factum est, ut via concordiae terminaretur ea lis, quae fuit inter primarios duos senatores, Rev.mum Dominum Archiepiscopum Gnesnensem²¹¹ et Episcopum Vladislaviensem²¹². Nec enim recusavit alter, quominus quam debebat summam numeraret integram, dummodo nunc dimidiam eius partem repraesentaret, alteram autem dimidiam ante vertentis anni finem solvere ne teneretur. Quam conditionem Rev.dus Dominus Archiepiscopus accepit. Quae vero fuerunt aliis de rebus inter eos controversiae, de illis quoque, ut inter eos amice brevi transigatur, futurum speramus. Quod Ill.mae Dominationi V.rae significandum esse putavimus.

incommodo aut religionis aut certe existimationis Ecclesiastici ordinis. Novit consilia certorum hominum [aepum Iacobum Uchański imprimis attingere videtur], quibus summa diligentia occurrendum est a Dominatione V.ra Ill.ma" (or. Olsztyn, ADWO, D 24, f. 18r).

²¹⁰ Revocans indulgentias prius concessas (vide infra, N. 54).

²¹¹ Iacobus Uchański.

²¹² Nicolaus Wolski.

N. 48.

**Card. Stanislaus Hosius et Iulius Ruggieri
Iacobo Uchański**

Heilsbergae, 7 III 1567.

Lite cum epo Vladislaviensi iam terminata, ad mutuam caritatem eum exhortantur.

Min.: Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 15 f. 3v, cum inscriptione: "Communes aepo Gnesnensi, 7 Martii 1567, Heilsbergae".

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 182-183.

Rev.me Domine, frater et amice char.me et honorande.

Iam tandem singulari Dei beneficio terminata lis est, quae fuit inter Rev.mam Dominatinem V.ram et inter Rev.dum Dominum Vladislaviensem Epum, ac nihil quidem optassemus magis, quam ut radicitus evelli potuissent omnia, si quae reliqua sint, quae possent concordiam, in hac parte per nos factam, inter Dominationes V.ras Rev.mas aliquando^{a)} labefactare. Sed cum Rev.di Domini Vladislaviensis mandatarius²¹³ nullum de ceteris mandatum habere se diceret, nec a Ss.mo Domino Nostro quidquam aliis de rebus nobis commissum sit, longius progredi non potuimus, quam vel in mandatis haberemus a Ss.mo Domino Nostro, vel utraque pars consentiret. Deinde vero futura fuisset res longi, sicut quidam dixit, subsellii. Non dubitamus, quin Rev.mae Dominationes V.rae rationem inventurae sint, qua de reliquis quoque rebus amice inter se transigere queant^{a)}. Quam ad rem ut se facilem praebeat Rev.dus Dominus Vladislaviensis, per litteras eum diligenter hortati sumus et coram etiam, si Deus volet, accuratius id faciemus. A V.ra quoque Rev.ma Dominatione petimus, ita se deinceps gerat erga Rev.dum Dominum Vladislaviensem, nullam ut occasionem det eius amicitiae violandae, cuius iam fundamenta quaedam esse iacta videntur.

Contentiones istae quem fructum et Regno et Reipublicae Ecclesiasticae attulerint, magno cum dolore nostro cernimus^{b)}. Cum quid annis his plus minus quatuor Ecclesiastica Respublica calamitatis accepit, non alii rei quam dissidiis istis eorum debemus, qui cum principem in senatu locum teneant, exemplo suo ceteris praeire debebant ad alendam concordiam charitatemque mutuam conservandam, cumque reconciliationis ministri sint, nihil eos minus, quam animorum tanta dissidia decere videbantur. Iterum atque iterum a Rev.ma Dominatione V.ra petimus, quanti suam Regnique salutem facit, tantum contendat et elaboret, ut nulla signa deinceps appareant offensi ali-

²¹³ Benedictus Kotarski.

cuius animi Rev.mae Dominationis V.rae erga Rev.dum Dominum Vladislaviensem. Quanto crebrius ^(a-pro sua singulari pietate^a) fungitur ministerio reconciliationis, quod illi datum est a Deo, tanto magis abhorrere debet ab omni alia ratione, quae huic ministerio adversari videtur. Sed hac de re malumus, ut ipsa secum loquatur, quam ut longioribus scribendis litteris aliquid illi molestiae fortassis adferamus. ^{(c-Optamus Rev.mam Dominationem V.ram bene et feliciter valere^c).}

^{a, a-a)} *Adscriptum in margine.*

^{b)} *Adscriptum supra expunctum*

verbum illegibile.

^{c)} *Adscriptum alia manu.*

N. 49.

Iacobus Uchański
card. Stanislao Hosio et Iulio Ruggieri

Unieioviae, 7 III 1567.

Nicolao Wolski eiusque fratre mortuis, tandem sententiam in causa litis pronuntiari petit et nuntiat Petricoviam ad comitia se esse profecturum.

Or.: Kraków, BCz, ms. 1609 IV p. 129. In p. 132 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "redditae 11 Martii Warttemburgi, responsum 12".

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 183-184.

Ill.me in Christo Pater et Rev.mi Domini *etc.*

Quemadmodum confidebam in Domino et fere praevideram, ita evenisse experior, Omnipotentem Deum, iustum iudicem, iudicasse nocentes me et expugnasse impugnantem me et exsurrexisse in adiutorium mihi²¹⁴. Nam ambo Wolscii uno semestri extincti sunt²¹⁵, qui in me iniurii et contumeliosi fuerunt, quod Dominus remittat illis et misereatur animabus illorum ac requiem aeternam eis donet. Laudetur vero nomen sanctum eius, quod me etiam liberaverit a violentia et persecutione eorum, meamque ac meorum iustitiam reddiderit illustriorem, et ad eam consequendam atque obtinendam aditum mihi ac meis faciliorem aperuerit. Neque enim Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras dubito, iam nunc tandem pro me, secundum Deum, nullo eorum respectu, quibus antea, dum viveret Rev.mus Vladislaviensis, commoveri se non obscure praeseferebant, pronuntiaturas seu facturas, quod iuris

²¹⁴ Ps. 34, 1-2.

²¹⁵ Nicolaus Wolski, epus Vladislaviensis, mortuus est die 3 III 1567, Stanislaus vero, castellanus Sandomiriensis (ab.a. 1565), frater eius germanus, iam mense Septembri 1566.

et iustitiae fuerit, prout mandatarii mei nomine meo ab illis submissee petierint. Quod ut mature faciant, vehementer rogatas cupio, ne forte, si adhuc longius trahatur negotium, mea et meorum causae in novum discrimen adducantur²¹⁶.

De Maiestatis Regiae Petricoviam ad Comitiam ingressu aliquoties fefellit nos Aula; pro certo tamen habere volunt, quod ad diem Veneris ante Dominicam Iudica²¹⁷ Rex ingressurus sit Petricoviam. Ego uno die constitui praecedere Suam Maiestatem, ut obviam ire et excipere advenientem cum aliis, qui convenerint, valeam.

De reliquo Ill.mam et Rev.mas Dominationes V.ras optime et diu valere felicissimaque omnia, quae ad gloriam Dei et salutem Reipublicae Christianae instituunt, agere et peragere ex animo plurimumque opto. Datae ex castro meo Unieioviensi, feria sexta ante Laetare anno Domini 1567.

^(a) Ill.me et Rev.marum Dominationum V.rarum

servitor obsequentissimus
Iacobus, aepus Gnesnensis,
manu sua^{a)}

^{a-a)} Autographum.

N. 50.

Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri

Romae, 15 III 1567.

Scribit se ad 2 epistulas eius, hac hebdomade acceptas, in quibus de synodo agitur, mox reponsum esse; quattuor brevia et facultates pro cardinali Varmiensi se misisse. Sperat nuntium iam esse in aula regia, sicut in mandatis habebat.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 14r.

Molto Rev.do etc.

Questa settimana si sono ricevute due lettere di V.ra Signoria, una cioè de 24 di Gennaio et l'altra de 2 del passato. Alle quali, perché contengono

²¹⁶ Sententia tunc iam erat lata, vide N. 48.

²¹⁷ 14 III 1567.

materie degne di consideratione circa il sinodo provinciale, non si potrà rispondere per stasera, ma sperasi bene col primo ordinario di darle qualche resolutione. Intanto sopra che io le inviai a XXI di Dicembre altri quattro brevi simili ai primi²¹⁸, et a 28 del medesimo le facultà della legatione per Mons. Ill.mo Varmiense²¹⁹, le quali scritte voglio credere che quest' hora le siano capitate tutte in mano. Et con le prime sue aspetto con desiderio la ricevuta, imaginandomi ch'ella sia in corte horamai, sicome haveva commissione d'andarvi, finita che si fosse la controversia tra quei due prelati²²⁰. Ch'è quanto mi occorre, offerendomi allei per fine di questa. Di Roma, a 15 di Marzo 1567.

N. 51

Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri

Romae, 22 III 1567.

Notum facit se litteras eius 24 I, 2 et, 11 II datas, recenter accepisse.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 13r.

Molto Rev.do etc.

Ho ricevuto questa settimana una di V.ra Signoria degli XI del passato, insieme con un foglio a parte. Alla quale si risponderà come prima sia stata ben considerata da N.ro Signore, insieme con l'altre sue precedenti de' 24 di Gennaio et 2 del passato. Intanto bastarà haverle accusata la ricevuta con questa di tutte. Laudandola della sua solita diligentia in nome di Sua Santità. Non mi occorrendo altro per hora che offerirmi allei di continuo. Ché il Signor Dio la conservi. Di Roma a XXII di Marzo 1567.

²¹⁸ Vide supra, N. 33, annotationem 153.

²¹⁹ Stanislaus Hosius nominatus est legatus de latere pro sua dioecesi, quo melius refellere posset aliquos canonicos, qui mandatis eius obsistebant (vide Eichhorn II, p. 288). De hac nominatione iam die 3 XII 1566 card. Ioannes F. Commendone Stanislao Hosio scripsit: "Comprimetur istorum insolens contumelia et fastidium non ferendum, nam cum Ss.mo Domino N.ro proxime egi, ut Dominationi V.rae Ill.mae in universa Dioecesi Legatio apostolica de latere mandetur, quod mihi perbenigne assensa est Sua Sanctitas. Curabo iam scribi litteras et facultates expediri, in quibus si quid deesse Dominationi V.rae Ill.mae videbitur, addetur per pontificias litteras" (or. Olsztyn, ADWO, D 24 f. 18r.).

²²⁰ Inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem.

**Franciscus Borgia, praepositus generalis Societatis Iesu
Iulio Ruggieri**

Romae, 24 III 1567.

*Propter penuriam operariorum praedicatorum Gedanum mitti non posse,
curam seminariorum Braunsbergae et Olomucii non posse declinari.*

Reg.: Roma, ARSI, Germania 107 f. 5r-v, cum inscriptione in 5r: "Polonia, Nuncio Apostolico".

-Ed.: Glemma OKDG, p. 106 (fragmentum).

Rev.mo Monsignor in Christo osservantissimo.

Ho ricevuto alquanto tardi una lettera di 28 di Dicembre di V.ra Signoria Rev.ma²²¹, et primo havevo fatta risposta al Padre Francesco Sunier²²², quanto al predicatore che si ricercava per Ghedan, alla qual mi rimetto²²³. Il zelo di V.ra Signoria Rev.ma in aiutar quella città lo tengo per molto santo, et la importanza dell'opera merita ogni bona cura. Vero è che li operarii che ha nostra Compagnia sono molto pochi a rispetto della messe, et però siamo sforzati, facendo quel poco che possiamo in quei luoghi, dove l'obbligo insieme col divino servizio ci invitano ad havere patientia nel resto, preghando la divina bontà si degni mandar molti operarii, acciò si possano affatticar in molte parti della sua vigna.

Quanto al pigliar cura del seminario in Braunspergha, si vede che malamente si potrà mancare per li molti rispetti ordinati a maggior gloria divina che vi sono, quantunque, come credo, sarà stata informata V.ra Signoria Rev.ma [che] la nostra congregatione generale si mostrò molto aliena di pigliar simili assunti, et però non si è pigliato in Olomucio, se non ad tempus. De la [5v] benevolentia et favore che li nostri trovano in V.ra Signoria Rev.ma humilmente la ringratio, et la supplico a continuare. Degnasi Iddio, Nostro Signore, tener sempre in sua prottettione et arricchir in ogni sua gratia V.ra Signoria Rev.ma, come per sua felicità eterna et ben commune lo desideriamo. Di Roma, li 24 di Marzo 1567.

²²¹ Desiderantur.

²²² Viceprovincialis provinciae Polonae Societatis Iesu, cfr. N. 23.

²²³ De die 1 Februarii huius anni, ed. Glemma OKDG, p. 105.

N. 53.

**Card. Stanislaus Hosius
Iulio Ruggieri**

Heilsbergae, 3 IV 1567.

Dolet, quod ei de aedibus Petricoviae non sit provisum; Modliszewski scripsisse domum epi Vladislaviensis ibi aliis destinata esse. Petit, ut apud regem intercedat, quo epus Premisliensis ad episcopatum Vladislaviensem promoveatur.

Min.: Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 15 f. 5v. In margine sinistro inscriptio: "Nuntio Apostolico Rogerio, 3 Aprilis 1567, Heilsbergae". Tota haec minuta expuncta est cum annotatione in margine: "Non est missa haec epistula".

Rev. de Domine.

Quod Rev. mae Dominationi V. rae de commodis aedibus Petricoviae provisum non sit, valde dolens accepi. Quod autem attinet ad aedes d. ni Cuiaviensis Episcopi²²⁴, clam illam esse nolo, quod qui profectus erat Warszaviam familiaris meus D. nus Laurentius Modliszewski, cum sub illud ipsum tempus, quo venerat, (^a-ante medium Quadragesimae^a), mortuus esset D. nus Vladislaviensis Episcopus, egit cum Rev. do D. no Procancellario²²⁵, ut mihi de domo illa providere curaret, quamvis autem a me nullum ea de re mandatum habuerat, qui neque sciveram quidquam de morte Vladislaviensis Episcopi. Responsum autem hoc tulit, quod novo oratori Ducis Moscorum destinata sit. Quod mihi valde paradoxum visum est, verum et alia multa magis etiam evenerunt paradoxa. (^a-Nihilominus quod a me postulat Rev. ma Dominatio V. ra feci lubens, ut ad Maiestatem Regiam, quin et ad D. num Vicecancellarium, quales voluit litteras dedi^a)²²⁶.

De successore Vladislaviensi Episcopo demortuo designando, simul ut de morte novum accepi, scripsi statim in aulam, ac ut Episcopus Premisliensis²²⁷ successor daretur petivi, quod et nunc facio. Nam non video, quis magis idoneus dari possit. Sed si V. rae Rev. mae Dominationis autoritas accesserit, citius quod volumus obtentum iri spero, cum praesertim Rev. dus D. nus Vicecancellarius Ecclesiam illam recusare dicatur.

^{a-a}) *Adscriptum in margine.*

²²⁴ Nicolaus Wolski.

²²⁵ Petrus Myszkowski.

²²⁶ Die 23 III 1567 Stanislaus Hosius scripsit Heilsberga ad Martinum Cromerum: "Nuntius iam discessit a me. Petivit is a Plocensi [Andrea Noskowski] domum sibi commodari. Negavit. Nunc ultro mihi vicecancellarius offeret eius partem dimidiam, quam sibi datam a Plocensi dicit. Num accipere debeam, a te consilium exspecto. Si fecero, putabit Nuntius per me fuisse, ne consequeretur eam, impeditum, cum tamen ea de re nunquam cogitaverim" (autogr. Kraków, BJ, ms. 60 III p. 971).

²²⁷ Valentinus Herbut.

Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri

Romae, 5 IV 1567.

De superioribus eius epistulis acceptis. Bullam In Coena Domini et aliam revocatoriam transmittit.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 15r.

Molto Rev.do etc.

Quanto alle lettere di V.ra Signoria de 24 di Gennaio et 2, 11 et 17 di Febraio non ho perhora a darle risposta alcuna, sicome occorrendo si farà successivamente. Intanto saprà che quella de 30, ch'ella accusa nell'ultima sua de 17 sopradetta, non si è ricevuta fin a quest'hora. Le Bolle In Coena Domini²²⁸, che saranno con questa, V.ra Signoria havrà da far publicare per tutto cotesto Regno, indirizzandole principalmente al Metropolitano²²⁹ et a qualche altro vescovo ancora, che le parerà a proposito, fuor di Polonia, accioché, se ella giudicarà essere spediante così, siano publicate per tutti i stati di Sua Maestà. Et perché Mons. Nuntio di Venetia²³⁰ ne farà stampare quantità per mandarne in molti luoghi, V.ra Signoria potrà ricercargliene quel numero che gli bisognerà per questo effetto, ch'esso gliene mandarà subito, secondo l'ordine havuto da me, così di queste, come delle altre prime ancora^{a)}, revocatorie delle indulgenze, le quali saranno comparse costà^{b)} di ragione a quest'hora. Ch'è quanto mi occorre per questa etc. Di Roma a V d'Aprile 1567.

^{a)} *Sequitur expunctum:* colle

^{b)} *Adscriptum:* subtus

²²⁸ Bulla continens sententias excommunicationis, quae publicabatur omni feria quinta Maioris Hebdomadae, i. e. in Coena Domini, et a Pio V declarata est lex poenalis ecclesiastica.

²²⁹ Ad aepum Gnesnensem.

²³⁰ Ioannes Antonius Facchinetti.

N. 55.

Iulius Ruggieri
card. Gulielmo Sirleto

Petricoviae, 10 IV 1567.

Uno anno suae commorationis in Polonia elapso, revocari cupit.

Autogr.: BV, Vat.Lat. 6189 II f. 377r. In f. 372v inscriptio et sigillum.

Cop. XVIII saec.: Kraków, BCz, ms. 76 IV p. 279-280.

-Ed.: Rykaczewski I, p. 216-217 (versio Polonica).

Ill.mo et Rev.mo Signore et padrone mio col.mo

Con grandissima mia consolatione ho hora inteso che V.ra Signoria Ill.ma è stata richiamata a Roma da N.ro Signore, sì perché io mi persuado che con maggiore frutto potrà presso Sua Santità essercitare la sing[ola]re virtù sua, come perché io spero che, continovando per sua benignità la protezione mia, mi farà favore in procurarmi licenza da Sua Beatudine, sapendo che per molti rispetti io venni qua con poca mia satisfatione, sì come le ho poi ancora scritto²³¹. Perciò, essendo hora finito l'anno che io sto in questo servitio, et retrovandomi alla seconda Dieta²³², che a più alcuno altro Nuntio non è stato, desiderarei che Sua Santità mi facesse gratia di levarmi di qua, commutando questo servitio mio in alcuno altro, overo lasciandomi stare in Italia a seguitare le fatiche delli studii miei²³³. Et a questo effetto scrissi alli 27 del passato a Mons. Ill.mo Alessandrino²³⁴ pregando Sua Signoria Ill.ma ad impetrarmi tal gratia da N.ro Signore, poiché la presenza mia, o di alcuno altro Nuntio, non è necessaria qui per alcuni mesi. Et mandai la copia di quella parte di lettera in mano dell'Angoscioli²³⁵, accioché egli potesse ragionare della intentione mia, la quale è servire, come ho fatto et faccio continuamente nel modo, che V.ra Signoria Ill.ma potrà intendere. Ma finita che serà la Dieta²³⁶, io non vorrei stare qua in otio con mio grandissimo incommodo et senza frutto. Perilché supplico V.ra Signoria Ill.ma a favorire questo desiderio mio secondo che a bocca le dirà messer Georgio Angoscioli, dalla quale intenderà anchora il progresso della negotiatione mia. Et a lei humilmente bacio le mani et le prego lunga felicità. Di Petricovia alli X di Aprile del LXVII.

²³¹ Vide supra, N. 23.

²³² Ruggieri interfuit antea comitiis Lublini 7 V-21 VIII 1566 celebratis, cfr. N. 20.

²³³ Imprimis studia biblica.

²³⁴ Epistula desideratur.

²³⁵ Cfr. N. 2.

²³⁶ Comitia Petricoviensia finita sunt die 14 VI.

D[i] V.ra Signoria Ill.ma et Rev.ma

humilissimo et devotissimo Servitore
il Protonotario Ruggieri

N. 56.

Card. Stanislaus Hosius
Iulio Ruggieri

Mariaeburgi, 10 IV 1567.

Superiores eius epistulas commutatas esse scribit; de commodis aedibus Petricoviae ei provisum esse gratulatur; epum Premisliensem optimum futurum esse pastorem dioecesis Vladislaviensis censet eumque commendat.

Min.: Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 15 f. 5r cum inscriptione: "Nuntio Apostolico Rogerio, 10 Aprilis 1567, Mariaeburgi".

Reddidit mihi secretarius meus Rev.mae Dominationis V.rae litteras, qui putat errore factum esse, ut quae mihi debebant inscribi Rev.do D.no Vicecancellario²³⁷, quae vero illi, mihi inscriberentur. Quod mihi quidem valde verisimile videtur. Intellexeram aedes defuncti D.ni Vladislaviensis²³⁸ destinatas fuisse Moscorum oratori²³⁹, sed simul ut Mariaeburgum²⁴⁰ veni, Regiae Maiestatis Orator mihi narravit, quod Rev.mae Dominationi V.rae concessae fuerint. Itaque iam voti sui compos facta est, quo nomine plurimum illi gratulor. Simul et illud gaudeo, quod Rev.dum D.num Premisliensem tanto studio cupit adiutum, ut ad Vladislaviensem Ecclesiam transferri queat²⁴¹. Quam ego felicem futuram arbitror, si fuerit hunc pastorem et Episcopum consecuta, nec enim alium video digniorem, cui rectius hoc munus mandari possit, cum et vitae integritate et doctrina praestare videatur. Bene prospexerit Ecclesiae Vladislaviensi Rev.ma Dominatio V.ra, si perfecerit, ut illi praeficiatur.

²³⁷ Petrus Myszkowski.

²³⁸ Nicolaus Wolski.

²³⁹ Vide supra N. 53.

²⁴⁰ Marienburg, Polonice Malbork ad Vistulam.

²⁴¹ Valentinus Herburt, quem Hosius litteris eodem die datis vicecancellario iterum atque iterum commendavit (min. Kraków, BJ, ms. 160, fasc. 15 f. 5r). Cfr. etiam N. 53.

N. 57.

Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri

Romae, 19 IV 1567.

Scribit aepum Gnesnensem diligenter esse observandum, bona monasteriorum non alienanda, decreta Concilii Tridentini, praesertim circa erectionem seminariorum, executioni mandanda; studiosos Polonos Romam venientes cordi futuros pontifici; de processibus informativis episcoporum, imprimis nominati Mednicensis (Georgii Pietkiewicz) et Luceoriensis (Victorini Wierzbicki). In causa coadiutoriae Varmiensis Suam Sanctitatem esse provisuram. De Catechismo Tridentino imprimendo in lingua Latina et Polonica. Notum facit facultates dispensationum ipsi amplificatum iri; instructiones senatoribus datas religioni detrahere censet. Concordiam inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem conclusam esse gaudet. Opinionem super nominato Vladislaviensi exspectat. Processum informativum doctoris Georgii (Pietkiewicz) confici debere in forma a Concilio Tridentino praescripta.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 17r-19v.

-Ed.: Wierzbowski U IV, p. 11 (fragmentum).

Molto Rev.do etc.

Per risposta delle lettere di V.ra Signoria de 24 di Gennaio et de 2, XI et XVII di Febraio, delle quali accusai però^{a)} la ricevuta a V di questo²⁴², le dico che N.ro Signore ha inteso il parer suo circa la convocatione del sinodo, dintorno a che non ho per hora a dirle altro, se non che V.ra Signoria dovrà haver l'occhio alle mani di Mons. Arcivescovo Gnesnense²⁴³. Ancorché si creda ch'esso vada a buon camino, oltra quello che si è inteso di lui altre volte, tutta via sapendosi haver esso havuto quella opinione di che V.ra Signoria fa mentione nel suo discorso in cifra de 24 Gennaio²⁴⁴, conviene di star molto avertito nel credergli al primo tratto le cose che dice. In che mi rimetto principalmente alla prudenza di lei che si truova in fatto, et che^{b)} deve a quest' hora haver fatta esperienza della sua natura più d'una volta.

Quanto al particolar dei monasterii, V.ra Signoria non cessi di far ogni officio con Sua Maestà et col Vicecancelliere²⁴⁵ et con tutti quelli che saranno a proposito per impedir l'alienatione dei monasterii et dei beni loro in questa

²⁴² Cfr. N. 54.

²⁴³ Iacobus Uchański.

²⁴⁴ Scripsisse videtur archiepiscopum voluisse celebrare concilium nationale, quod Regnum Poloniae ab Ecclesia Romana avellere potuisset.

²⁴⁵ Petrus Myszkowski.

dieta in Petricovia, essendo di quella^{e)} importanza et^{d)} conseguenza, che^{e)} ella medesima può vedere questa perdita così notevole in quel Regno²⁴⁶.

[17v] Della pluralità^(b-de benef[it]ii^b) et residenza non posso darle con questa rissoluta risposta, seben si potrebbe credere, che quel decreto di suspensione che fece Pio IV, santa memoria, comprenda i canonicati ancora, poiché comprende i curati principalmente^{b)}, che sono di maggior importanza²⁴⁷. Tuttavia con le prime spero di dargliene intera rissoluzione. Intanto V.ra Signoria potrebbe pensare di parlar delle riforme in quel Regno, secondo i decreti del Sacro Concilio di Trento²⁴⁸, in certi capi, che non sono stati sospesi fra qui, et essortar i vescovi et il clero rispettivamente a mettergli in essecutione, et principalmente l'Arcivescovo, accioché con l'esempio suo gl'altri si movessero a far l'offitio loro, et massimamente circa la erettion dei seminarii, i quali saranno^{d)} di quella utilità^{e)} ch'ella istessa giudica ancora^{h)} (i-^e che debbino essereⁱ⁾ in quel Regno. I quali si potrebbero cominciare a istituire, o per via di contributione, come si fa per Italia, o^{j)} di applicatione de benefitii semplici alla lor mensa, come potranno commodamente far gli^{k)} ordinarii^(b-de luoghi^b) con l'occasione delle vacanze che verranno alla giornata. Il quale offitio potrebbe bastare al presente per inanimarli a questa santa et necessaria opera, finché si convocasse il sinodo provinciale^{b)}, nel quale si havrà poi a parlare a più fondamento, benché N.ro Signore, secondo il consiglio di V.ra Signoria, si rissolve [18r] a voler dare ogni commodità possibile di stanza et di precettori a quei Polacchi, che vorranno venir qua per imparar costumi et buona dottrina, come fanno molti altri di diverse nationi ordinariamente in Roma. Il che V.ra Signoria potrà far intendere di commission di Sua Santità a tutte quelle persone che havranno^{l)} inclinatione alla^{m)} dottrina catolica et al viver da christiano, insomma alle quali col tempo poi, secondo la riuscita et proffession che facessero, si potrebbero dare quelli honori et benefitii che fossero convenienti alla capacità loro.

Quanto agli essamini, finchéⁿ⁾ si pigli la fama dal concilio provinciale, V.ra Signoria havrà da pigliar diligente informatione dicontinuo^{o)} di tutte le persone, che saranno promosse a prelature o ad altri benefitii inferiori, et avisarmene^(b-la certezza^b) al tempo suo, ordinandole ancora di presente a far essatta diligentia per saper la vita et costumi del Dottor Giorgio, nominato alla Chiesa Mednicense²⁴⁹, (p-informandosene ancora dal Card. Varmiense

²⁴⁶ In comitiis Petricoviensibus a. 1567 nihil hac in parte decretum est.

²⁴⁷ Quam quidem prorogationem ad trium dumtaxat annorum decursum a proxime praeteritis Kalendis Novembribus anni currentis 1565 inchoandorum Stanislaus Krasiński, archidiaconus Lanciencis et canonicus Gnesnensis, nuntius cleri Poloniae, vix et summa cum difficultate se obtinuisse asseruit (Kraków, AKKK, ms. 6 f. 58v.). Tenorem huius brevis vide ibidem f. 51v-53v.

²⁴⁸ Ex toto hoc responso card. Michaelis Bonelli liquet Iulium Ruggieri in relationibus suis attigisse nonnihil de rebus ecclesiasticis Poloniae, de quibus saepe cum Stanislaeo Hosio collocutus erat, cuius epistulae de similibus negotiis tractant.

²⁴⁹ Georgius Pietkiewicz († 1574), epus nominatus Samogitiensis (Mednicensis), post translationem Victorini Wierzbicki ad epatum Luceoriensem, confirmatus 14 XI 1567.

medesimo et^{p)} essortando esso Dottore^{b)} et quell'altro di Samogitia²⁵⁰ solamente^{a)} a volersene render tanto più degni con attendere ai studii canonici o di theologia, accioché Sua Santità habbia causa d'esser favorevole tanto più alla spedition loro. Et in questo proposito convien che io le ricordi a par[18v] lare con Sua Maestà sopra il caso del vescovo di Chiovia²⁵¹, pregandola a farlo desistere, non solo dalle pratiche di permutar quella chiesa, ma di necessitarlo ancora^{b)}, a viva forza di lassarla affatto, come ogni ragion vuole, essendo anco indignità, non pur della Sede Apostolica, ma di Sua Maestà medesima^{b)}, che una persona infetta come è lui, intervenghi nelle diete sue.

Quanto a quel particolare della coadiutoria²⁵², essendo il caso della natura ch'è, N.ro Signore vuol pensare al rimedio opportuno in questo mezzo, et per questa causa io non gliene do perhora risposta alcuna, sicome farò occorrendo con le prime.

N.ro Signor si contenta che il catechismo si stampi in latino et il Concilio di Trento similmente, poiché V.ra Signoria giudica esser benefitio di quel Regno, ma gli piacerà ancora che si attenda a metterlo in quella lingua, come ha cominciato a fare il secretario di Mons. Ill.mo Varmiense²⁵³, il quale dovrà rivederlo et correggerlo bisognando, per non lassarlo uscir fuori senza la sua censura, poiché in casa sua si traduce con quella diligentia che ella avisa.

Io ho fatto l'offitio per conto delle dispense con N.ro Signore, il quale non tardarà molto a farci qualche provision conveniente, per quanto io posso comprendere et per avventura, conforme al bisogno dei luoghi et al desiderio mio in questa parte per satisfattion di V.ra Signoria.

[19r] Quanto alla instruttione che si è mandata alli senatori per conto della dieta, le dico che non piacciono (^{b-a} N.ro Signore^{b)}) in modo alcuno le parole (^{b-di} quel capitolo^{b)}), pertinenti alla religione. Il qual negotio ancorché si potesse la persona assicurare che dovesse esser terminato con guadagno et benefitio della fede catholica, non di meno si ha da prohibire (^{b-ad} ogni modo^{b)}) che va trattato da persone laiche et nei consigli^{r)} di principi temporali²⁵⁴. Onde in questo particolare V.ra Signoria usi ogni diligentia possibile per persuadere il Re et tutti quelli che n'interverranno a (^{s-}non cominciar simile trattamento^{s)}) d'accordo o (^{t-di} pacification^{t)}) di religione in quel luogo, non si potendo aspettar altro di ragione che perdita dal canto nostro, (^{u-o} almeno^{u)}) confusion maggiore alla fine. Il chè si rimette alla prudenza et destrezza sua, quanto al negotiarlo con quei mezzi et modi che le paranno convenienti.

²⁵⁰ Victorinus Wierzbicki († 1587), epus Samogitiensis ab a. 1565, translatus ad epatum Luceoriensem, confirmatus 22 VII 1567.

²⁵¹ Nicolaus Pac, cfr. N. 4, 39.

²⁵² Bartholomaei Plemiecki in canonicatu Varmiensi, cfr. N. 33.

²⁵³ Valentinus Kuczborski (1525-1572), primam versionem Polonam *Catechismi Romani* curavit et edidit a. 1568.

²⁵⁴ Cum instructio hic nominata reperiri non potuerit, difficile est conicere, de quo negotio agatur.

Si sono ricevute poi le altre sue de VI et XVII del passato con un'altra lettera comune del Card. Varmiense et di V.ra Signoria²⁵⁵ in quella materia della concordia di Gnezna et Vladislavia, il quale poichè si [sic] è morto, seguito che fu l'accordo, restarà allei questa fatica di manco, et all'anima di lui questo merito di più. Intanto V.ra Signoria starà avvertita di avisarmi l'opinion sua circa questa nominatione et le [19v] qualità insieme della persona nominata, per satisfattion di N.ro Signore²⁵⁶, il quale si sente molto servito dallei, così circa i negotii, come ancora circa gli avisi particolari del paese. Dintorno a che a me non occorre ricordarle altro, poichè la diligentia et il valor suo non mi lasciano luogo di poter far seco quest' offitio mai. Intanto (v-basciarà le mani per me a Mons. Ill.mo Varmiense. Non havendo che darli altro in sua risposta per hora^v). Et allei mi offero di continuo. Di Roma, a XIX d'Aprile 1567.

Il processo di quel Dottor Giorgio si havrà da formare in forma "proban-ti", come si usa, perchè faccia fede, et come ordina ancora il Sacro Concilio di Trento. Et fatto che havrà, potrà mandarlo autentico in mia mano. Avvertendola ancora in nome di N.ro Signore ch'ella non si debba intromettere nelle stampe di catechismo²⁵⁷ ad altro, accioché non si desse ombra a quelle genti che ella volesse farvi sopra qualche mercantia come ministro di Sua Santità. Però lassarà la cura dello spendere a chi la vorrà et stia sana. Le raccomando l'alligata mia per il Duca d'Olica²⁵⁸.

a) *Supra expunctum*: anco

b) *Adscriptum supra*.

c) *Supra expunctum*: suppa

d) *Sequitur expunctum*: di molta

e) *Supra expunctum*: come

f) *Supra expunctum*: sono

g) *Supra expunctum*: importanza

h) *Supra expunctum*: per sua prudenza

i-i) *Supra expunctum*: siano

j) *Sequitur expunctum*: per

k) *Sequitur expunctum*: quelli

l) *Supra expunctum*: have essero

m) *Sequitur expunctum*: buone sono

n) *Supra expunctum*: non

o) *Supra expunctum*: tutta via

p-p) *Adscriptum in margine*.

q) *Supra expunctum*: ancora

r) *Sequitur expunctum*: di persone

s-s) *Supra expunctum*: pretermetter questo

t-t) *Supra expunctum*: trattato

u-u) *Supra expunctum*: ovvero

v-v) *Supra expunctum*: non mi occorrendo alt

²⁵⁵ Desideratur, sed vide N. 49.

²⁵⁶ Scilicet nominati ad epatum Vladislaviensem (Stanislaw Karnkowski).

²⁵⁷ Cfr. infra N. 66.

²⁵⁸ Nicolaus Christophorus Radziwiłł (1549-1616), dictus Orbus.

N. 58.

Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri

Romae, 26 IV 1567.

Scribit se epistulam eius accepisse; processum informativum doctoris Georgii quam primum esse mittendum; breve dispensationum expeditum iri; adiungit litteras pro cardinali Varmiensi.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 20r.

Molto Rev.do etc.

Ho ricevuto ultimamente la lettera di V.ra Signoria de 27 del passato in risposta delle mie di Gennaio et Febraio²⁵⁹, alla quale con questo ordinario non potendo rispondere a bastanza, mi rimetterò alla precedente mia de 29, dicendole questo solamente che starò aspettando di sapere in questo mezzo quel che si sarà operato con quel monitorio che si haveva a presentare in Varmia²⁶⁰, ricordarle ancora che, formato ch'ella habbia il processo informativo super vita et moribus di quel Dottor Giorgio²⁶¹, come le scrissi la settimana passata, secondo la forma del Concilio²⁶² medesimo, melo mandi autentico quanto prima, ch'io mandarò intanto il breve con la facultà di dispensare in 4^o i matrimonii contratti an[te] confirmati Concilii, et de caetero secondo la forma usata qui in penitentiaria, et per aviso di Lei. Alla quale, non essendo questa per altro [sic], mi offero di continuo, inviandole con questa una per Mons. Ill.mo Varmiense in sua risposta²⁶³. Di Roma a 26 d'Aprile 1567.

²⁵⁹ Die 4, 11, 18 et 25 I ac 8 et 22 II, vide supra N. 33, 34, 36, 39, 49.

²⁶⁰ Contra canonicos opposcentes se card. Stanislao Hosio.

²⁶¹ Georgius Pietkiewicz.

²⁶² Concilium Tridentinum, sessio XXII de reform., can. 2.

²⁶³ In hac epistula (data Romae 23 IV 1567) card. Michael Bonelli hortabatur Stanislaum Hosium pontificis maximi nomine, ut apostolicae legationis munus in provinciali synodo obire vellet (ed. Ehrenberg IB, p. 37-38).

N. 59.

Card. Michael Bonelli
Iulio Ruggieri

Romae, 3 V 1567.

Hortatur eum, ut in Polonia diutius munere suo fungi velit. In negotio canonicatus Posnaniensis decisiones Rotae Romanae legi de "cortisanis" non adversari asserit. Breve facultatum dispensandi in causis matrimonialibus mittit.

Min.: AV, Nunz.Pol. 1 f. 21r-v.

Molto Rev.do etc.

Si è inteso per l'ultima di V.ra Signoria de 27 di Marzo il desiderio suo circa il ritornarsene in qua, allegando l'incomodo suo et la poca necessità della presentia del Nuntio ^(a-costà nei tempi d'avenire-a)264. I quali rispetti, anchorché siano di qualche consideratione, non sono però bastanti fin qui a persuader N.ro Signore a concederli la licentia che desiderava. Onde mi ha commesso ch'io le dica in nome suo ch'ella dovrà contentarsi di fermarsi ^(bin Polonia-b), finché Sua Santità si rissolva a mandarle ol successore, il quale, havendola colta all'improvviso al presente, non è dissegnato ancora. Et con l'esempio di Sua Beatitudine, che non si cura di spendere dove può conoscere il servitio del Signor Dio et il beneficio dei popoli, dovrebbe etian-dio V.ra Signoria pensare di spender il suo talento con la medesima intentione, poiché ha alle mani l'occasion tanto opportuna et tanto piena di honestà et pietà, quanto alcun'altra ch'ella potesse desiderare. Questo è il senso di Sua Santità in questa parte, ma non ostante questo, io non mancarò di far ogni offitio per lei [21v] in questa materia, ogni volta ch'io ne sia ricerco in nome suo.

Quanto al particular di Posnania²⁶⁵, quel che V.ra Signoria scrive tutto è vero, ma quel caso del nipote del vescovo è d'un'altra natura, perciocché il giuditio che s'intentò qui in Rota, fu di consenso delle parti, donde sene riportorno tre sententie conformi, et le lettere essecutoriali, di modo che quel statuto de iure cortesanico²⁶⁶ non milita qui altramente, a mio giuditio. Il che voglio haverle detto, accioch'ella sappia governar il negotio con maggior confidentia.

²⁶⁴ Epistula haec deest, sed vide N. 55.

²⁶⁵ Vide supra N. 39.

²⁶⁶ Constitutiones de plebeis et cortisanis a. 1538 et de revocatione cortisanorum a. 1540 editae, vide *Volumina legum* I, p. 259-260, 275.

Et se bene essi Tartari non usano armi difensive, ma si vagliano quasi solamente degli archi nell'offendere, non deve perciò la loro militia essere stimata poco, poiché essi nel mestier della guerra avanzano in cinque cose importanti tutti li huomini del Mondo. Et questi sono: la tolerantia delle fatiche, disaggi et [346r] difetti di vittovaglie, così per loro come per li cavalli, quali si mantengono col pascolo solo, et dormono alla campagna scoperta; la velocità del trascorrere nelli paesi nemici, quale veramente è incredibile. Et di questa, come anco della tolerantia, si veggono essemplii di loro quasi ogni anno in Polonia, percioché tra Precop et le prime ville habitate del Regno, che sono alle frontiere verso loro, può essere un spatio di 300 miglia Italiane, tutto deserto, et non dimeno essi, senza carriaggi et prima che possi venire nuova della venuta loro, trapassano tanto paese et senza fermarsi assaliscono il resto della Podolia et della [346v] Russia et ne riportano grossissimi bottini di huomini et bestiami, et tal volta ancora sono trascorsi sino a Cracovia. Poi sono peritissimi nel saettare. Nel passare li fiumi a nuoto non hanno pari. Et finalmente non temono punto la morte⁶¹².

⁶¹²Cfr. R. 1, cap. XV.

Perciò di loro si serve il Turco in molte imprese. Et ultimamente ancora se ne servì in Ungheria nel 1566. Et non è dubbio alcuno che, continuando loro nell'istesso servitio, saranno hora parimenti operati nella medesima Ungheria, se però da quella parte sarà guerra. Et perciò, conducendosi al servitio della Lega, si liberarebbe l'Imperatore da una grossa banda de nemici, se moverebbe, come si è detto, il Re di Polo[347r]nia, et il Turco sarebbe astretto per tal causa a tenere un'essercito in quelli Paesi et divertire parte del suo sforzo dall'offendere li Domini Christiani et diffendere le marine dal canto suo.

Poi in compagna di questi Tartari, caso ancora che il Re di Polonia, né altro Principe settentrionale si volesse muovere et si desiderasse maggiore sforzo di genti da quelle bande, vi sono li Tartari Zavolgens⁶¹³, quali habitano oltre il Boristhene, verso il Tana⁶¹⁴. Et nel 1501, con uno essercito di 100 milia cavalli, assalirno et ruppero li Precopiensi, et mandorno Ambasciatori al Re Giovanni Alberto di Polonia per far lega seco⁶¹⁵. Li quali non sono stipendiati dal [347v] Turco. Et per esser poveri, come sono tutti li Tartari, non è dubbio alcuno che accettarebbono il soldo de Christiani; et quando li Precopiensi non volessero partirsi dal servitio del Turco, essi sarebbero bastanti ad offendergli et in questo modo impedire al Turco quell' aiuto et liberare la Podolia dalle correrie loro, per il quale beneficio si potrebbe risolvere anco il Re di Polonia a pigliare l'armi.

Et in ogni caso, facendo a proposito cavalli Polacchi in questa guerra, si potrà stipendiare tutta quella quantità che sarà di bisogno, senza l'autorità publica del Re, come più volte essi sono stati stipendiati da diversi Principi et da Carlo V Imperatore, al soldo del [348r] quale 3 milia Polacchi ruppero in Austria 13 milia Turchi⁶¹⁶; et nel 1566 Alberto Lasci venne con molti altri nobili a servire parimente l'Imperatore nella guerra d'Ungharia⁶¹⁷; come, parmi, era andato a soccorrere il Despoto in Valacchia contra Alessandro, aiutato dall'armi et forze del Turco⁶¹⁸. Et il servitio di questi Polacchi non portarebbe tanta spesa alla Lega, quanta la cavalleria d'altra natione christiana; et all'incontro, sarebbe per la vicinanza di commodità maggiore.

Hor questo è, Beatissimo Padre, quanto mi è venuto in mente, discorrendo sopra l'aiuti di Polonia a favore della Ss.ma Lega. Et se per avventura, in questa scrittura saranno alcune [348v] cose, le quali effettuate

⁶¹³ Cfr. R. 1, cap. XV.

⁶¹⁴ Borysthenes et Tanais, vulgo Dnepr et Don.

⁶¹⁵ A. 1501 legati Šeich Achmedi, chani Tartarorum ad Rha (Volga) fluvium habitantium, cum Polonis contra Tartaros Crimaeenses et Moscovitas foedus inierunt.

⁶¹⁶ Cfr. R. 1, cap. XIII.

⁶¹⁷ Albertus Łaski (1536-1605), palatinus Siradiensis, capitaneus Scepusiensis ab a. 1566, Domus Austriacae fautor tenacissimus.

⁶¹⁸ Iacobus Heraclides Despota, palatinus Moldaviae annis 1561-1563. Gente Graecus, a Domo Austriaca adiuwabatur. Coniurationi in aula Alexandri IV Lápušneau implicatus, fugae se dedit, sed, a Ferdinando I imperatore et Alberto Łaski adiutus, revertit.

possino tornare a qualche profitto di questa Santa Impresa, io ne restarò grandemente consolato, et maggiormente obligato alla Santità V.ra che mi habbi dato occasione d'impararle. Alla quale humilmente inchinandomi, bacio li ss.mi piedi, et le prego dal Signor Dio ogni salute et felicità.

a-a) *Deest in cod. Borghesiano.*

b-b) *Suppletum ex cod. Borghesiano.*

c) *Cod. Borghese habet: et*

R. 3.

Relatio Iulii Ruggieri de civitate Gedanensi ad catholicam religionem iterum convertenda

S.l., [1571-1572].

Narratur de catholicorum in civitate Gedanensi, ubi fides catholica paene omnino erat exstincta, difficultatibus, donec a. 1567 opera et industria Iulii Ruggieri monasterium et ecclesia Dominicanorum eis restituerentur, civitas ad catholicam religionem iterum converteretur et multis confessariis concederetur facultas a peccato haeresis absolvendi.

Autogr.: BV, Barb.Lat. 4698 f. 123r. In f. 123v annotatio alia manu: "Dato da Mons. Ruggieri".

- **Cop. XVIII saec.:** Kraków, BCz 78 IV, charta inter p. 212-213.

- **Ed.:** Glemma OKDG, p. 116 (fragmentum).

In Danzich, principalissima Città di Prussia e di grandissimo traffico tra tutte le Città dell'Europa, si trovava di maniera estinta la fede cattolica, che esclusone ogni ordine Ecclesiastico non vi si celebrava messa, né vi si predicava da Catholici la parola di Dio in alcun' tempo, ma sotto Pio Quinto nell'anno 1567, per opera di Mons. Ruggieri, Nuntio di Sua Santità presso il Re di Polonia, fu restituito alli Frati Dominicani la Chiesa et Convento loro in detta Città⁶¹⁹, edifici di grandezza et lavoro notabile, quali servivano per l'adietro all'habitatione et commodità del presidio delli soldati. Et in detta restituzione vi s'inviano molti predicatori principali et altri sacerdoti di quell'ordine sotto la protezione ancora del Re. Quali celebrando et predicando con tanto Auditorio quanto a pena capiva la Chiesa, convertirno alla fede Catholica gran popolo di quella Città, infetta dall'heresia Luterana.

⁶¹⁹ Cfr. supra N. 52, 65-66, 68, 74, 90, 91 et R. 1, cap. X.

A istanza del suddetto Nuntio, per la commodità di quelli che si sperava doversi convertire alla fede Catholica, il Papa concesse la deputatione de molti Confessori per tutto quel Regno cum facultate absolvendi a crimine haeresis⁶²⁰. Quali assolvevano poi continovamente gran numero di penitenti. Et con questo principio si è seguitato nelli tempi seguenti a salute di quelli Popoli, illuminati di mano in mano maggiormente dalla Maestà di Dio⁶²¹.

R. 4.

Relatio Iulii Ruggieri de Comitii Lublinsibus a. 1566.

S.l., [1572].

Refert de Comitii Lublinsibus a. 1566 celebratis, in quibus Ruggieri conatus est et effecit, ut decretum, catholicis perniciosum, de pellendis antitritariis, tolerandis vero Lutheranis et Calvinianis revocaretur et abrogaretur.

Autogr.: BV, Barb.Lat. 4698 f. 131r. In f. 132v annotatio alia manu: "Scritto dato da Mons. Ruggieri".

Cop. XVIII saec.: Kraków, BCz 78 IV, charta interp. 212-213, una cum R. 3.

(a-Scritto dato da Mons. Ruggieri^a).

Nell'anno 1566 nelli Comitii, ovvero Dieta di Lublino, Mons. Ruggieri, Nuntio nel Regno di Polonia della Santa memoria di PioV⁶²², arrivato alla detta Dieta, trovò esser passato in quei giorni un Decreto che di Polonia fossero cacciati li Trinitarii et altri Heretici et si tollerassero li Confessionisti et li Calvinisti. Fece di ciò grave rissentimento col Re et con tutto il Consiglio di Polonia et rimonstrò alli Catholici detto Decreto essere perniciosissimo et intolerabile per causa della fede Catholica. Et finalmente operò che fosse rivocato et annullato, come finalmente fu fatto⁶²³.

a-a) *Alia manu.*

⁶²⁰ Cfr. supra N. 65, 68.

⁶²¹ Tota haec quaestio fusius agitata est a Th. Glemma in articulo de monasterio Dominicanorum Gedanensi a. 1565-1568 recuperato (cfr. Glemma OKDG passim).

⁶²² Pius V mortuus est 1 V 1572.

⁶²³ De hoc decreto in Comitii Lublinsibus disputato et de conatibus nuntii ad id abrogandum, vide supra N. 14, 15 et in R. 1, cap. X, XVII.

APPENDICES

Mandat ei, ut eorum cardis Verulanis controversiam inter archiepiscopum Gnesensem et episcopum Vindobonensem componere studeat, ~~et~~ componere studeat.

Arch. Vat., Arm. XLIV Vol. 7 f. 93 cop. rec. - Ed. Michalskana III n. II

~~1116. Wajp. v. p. 1116.~~
 Dux: Wladyslawus et 1113.

Molste primis vobis fratres archiepiscopum ¹⁾ Gnesensem
 et ~~episcopum~~ ²⁾ Vindobonensem adhuc inter pellicere. Et sane
 nimis indignum est deo tales viros reperi prelatos tam
 postremer de re pacisaria contendere. Quam ob rem
 mandamus tibi, ut una cum dilecto filio nostro Staniceo,
 P. R. E. presbytero cardis Verulanis appellato, eam
 controversiam inter eos componere studeas, ³⁾ comitor
 utroque etiam nostris verbis hortando, ut pro
 sedis apostolicae reverentia aliquid de suo iure
 remittant, eamque rem vestro arbitrio decidendam
 transigendamque permittant. Tamen quidem
 deoivt ~~et~~ ⁴⁾ fraternam inter e charitatem
 colere; sed tempus etiam istud Regi porcit,
 ut nulle omnino res constructionum illorum
 valeat pellat. ++

¹⁾ Jacobus Uchanski. - ²⁾ Nicolas Holcki.

³⁾ Ad nuntium ap. item archiepiscopum Gnesensem remittit card. Hosius scri-
bens ad d. Keiloberge 20 Junii 1566: - Prorsus iam istis adesse dicitur
nuntius ap. vir ut adhuc prudens, doctus et integer illius arbitrio censam sua
permittat neque dubitet, quin officio boni viri sit functurus (Uchanski
III n. 59). - Item cardis commendans scribet ad d. Keiloberge 1 Julii 1566: - Quod
nuntius tandem adventit, gaudet. spero futurum, ut ille, quod erit, cum numeris, graviter
procedet. Ipe vero nunquam optavit, prius, ut ad me quam ad datum R. veniret, et istas
res esset in Polonia. Nam enim ea res invidiam mihi inflavit et occasionem
novis quibus deus de me suspicandi dedisset. In vero fuerit in Lituania tum ut prius
ad me dicerentur cogitarem; nec enim illi multum esset futurum occurrere
(ad Thraenberg, Verkunden n. Stenströcke 213).

A. 1.

**Capitulum Cracoviense
capitulo Gnesnensi**

Cracoviae, 3 X 1566.

*Nuntios se mittere scribunt ad deliberandum de synodo provinciali
quamprimum convocanda.***Or.:** Gniezno, AAG, Listy, Nr 1573.**Reg.:** Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 594-595 cum data "4 Octobris
anno 1566" et cum inscriptione: "Ven.li capitulo Gneznseni a capitulo
Cracoviensi litterae".**-Ed.:** Korytkowski I, p. 383.

Rev.di et Ven.les Domini, Amici et Fratres maiores nobis char.mi at-
que observandissimi, salutem et perpetuam felicitatem.

Quibus iniuriis quantisque incommodis afficiatur universus ordo noster, nihil nunc attinet privatas omnium vel iniurias vel calamitates recensere, quandoquidem istorum malorum maior in dies fiat redundatio, quam ut ea commemorando enumerare queamus. De his itaque pene infinitis calamitatibus nostris cum in praesentia mutuam deliberationem haberemus, nullum aptius aut convenientius remedium reperire potuimus, quod quidem ad exhaurienda universa haec mala aequè valere existimarem, quam ut ex auctoritate Sacrosancti Concilii Tridentini Synodus provincialis primo quoque tempore habeatur, quo saepe remedio Christi Ecclesia imminentibus periculis occurrebat et impendentes ex dissidio religionis calamitates evitabat. Quamobrem Rev.das Dominationes V.ras et amanter rogandas et fraterne admonendas esse duximus, ut de edicenda provinciali Synodo cum Rev.mo D.no Archiepiscopo⁶²⁴ deliberent, agant atque constituent, ne si in longius tempus extrahatur, praesentia haec mala gravioribus multo incommodis cumulentur. Quod quidem futurum esse non tam divinare, quam certo sperare possumus. Nam usque eo quidam Episcopi iam progressi sunt, ut non exspectata Synodo in exsequendis decretis Tridentinis propriam auctoritatem sibi usurpent, et posthabita ea, quam Collegiis nostris Summus Pontifex concessit, prorogatione, quaedam constituta Tridentina arbitrato suo executioni demandent. Ex quo ipsorum facto quid aut exspectare aut sperare debeamus, tacentibus nobis, Dominationes V.rae Rev.dae ipsae per se facile cogitare poterunt.

⁶²⁴ Iacobus Uchański.

Quare, ut ne quid nobis fortunisque nostris deterius eveniat, dum adhuc provideri potest, providendum est. Provideri autem ope Dei poterit, si consentientibus maiorum nostrorum animis et voluntatibus Synodus habeatur, in qua indicenda si forte Rev.mus D.nus Archiepiscopus remissior esse videretur, earum erit curae atque operae, ut Ill.mi D.ni Cardinalis⁶²⁵ et Rev.mi D.ni Nuntii Apostolici autoritate ad celerius indicendam permoveatur. Quae quidem Synodus, ut nobis religionique christianae bene et feliciter eveniat, ab ipso immortalis Deo, a quo solo omnia bona et recta consilia proveniunt, hoc ardentius omnes petere debemus, quo maiora vulnera esse videmus, quibus mederi praesenti Synodo cupimus. Reliqua ex Rev.dis D.nis Martino Izdbiensi, Custode et Vicario in Spiritualibus⁶²⁶, Stanislao Grothkowski⁶²⁷ et Iacobo Milewski⁶²⁸, canonicis et fratribus nostris Cracoviensibus, plenius intelligent. Quorum verbis ut fidem habeant, Rev.das Dominationes V.ras rogamus. Eisdem in Christo Domino diutissime salvas esse optamus. Datum Cracoviae, die tertia mensis Octobris, Anno Christi Domini M^oD^oLXVI^o.

Earundem Dominationum V.rarum Rev.darum

Amici et fratres obsequentissimi
Praelati, Canonici et Capitulum
Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis

A. 2.

Capitulum Gnesnense capitulo Cracoviensi

Gnesnae, 26 X 1566.

Respondent ad litteras eorum, 3 X 1566 datas.

Reg.: Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 595-596 cum annotatione: "Responsum ad litteras superdictas a Capitulo Gnesnensi".

⁶²⁵ Stanislaus Hosius.

⁶²⁶ Martinus Izdbieński († 1594), ab a. 1551 archidiaconus Posnaniensis, a. 1559 installatus canonicus Cracoviensis, ab a. 1564 canonicus Gnesnensis, a. 1572 administrator dioecesis Cracoviensis sede vacante.

⁶²⁷ Stanislaus Grotkowski (1510-1573), ab a. 1560 canonicus Cracoviensis, a. 1562 installatus canonicus Gnesnensis.

⁶²⁸ Iacobus Milewski (†1586), ab a. 1550 canonicus Gnesnensis, a. 1564 installatus canonicus Cracoviensis, a. 1577 administrator dioecesis Cracoviensis nomine epi Petri Myszkowski, ab a. 1579 suffraganeus eiusdem Myszkowski.

Rev.di et Ven.les domini, fratres et amici n.ri char.mi et observandissimi, salutem ac omnia sancta V.ris Rev.dis Dominationibus a Domino Deo.

Calamitates ordinis pene totius nostri, quas Rev.dae Dominationes V.rae suis commemorant litteris, [596] in commune experimur, quibus atque aliis impendentibus periculis quod Rev.dae Dominationes V.rae Synodo Provinciali obviandum censent, imus in eandem cum ipsis sententiam, admonitionemque earum fraternam et curam Reipublicae Ecclesiasticae libenter amplectimur. Induxeramus quoque in animum Rev.mum D.num Archiepiscopum⁶²⁹, principem nostrum, eius rei, cuius a V.ris Dominationibus Rev.dis hortamur, admonere, sed nostram admonitionem ipsemet Rev.mus Dominus per Nuntium suum anticipavit. Expetivit namque a nobis consilium de loco et tempore synodi, quam ex sententia Ill.mi D.ni Cardinalis Varmiensis⁶³⁰ circiter festa Epiphaniarum Domini⁶³¹ habere intendit.

Utrumque est, nos pro debito nostro et Rev.darum Dominationum V.rarum admonitioni respondentes, suam Rev.mam Dominationem rogabimus et adhortabimur, ut iam tandem eam ipsam synodum in longiora non reiciat tempora. Contendemus et ab Ill.mo D.no Cardinali precibus, ut auctoritatem suam ad Rev.mum Dominum N.rum et reliquos Rev.mos D.nos Episcopos una cum Rev.mo D.no Nuntio Apostolico interponat et sua praesentia Synodum exornet atque consiliis non deesse dignetur. Quid autem his in rebus hic contulimus, fusius ex Rev.dis Dominis fratribus communibus nostris, qui isthinc venerunt ad nos⁶³², accipient. De reliquo Rev.das Dominationes V.ras florissime valere optamus, eorumque nos simili amori et benevolentiae commendamus. Gnesnae, XXVI Octobris, Anno Domini M^oD^oLXVI.

Rev.darum Dominationum V.rarum fratres obsequentissimi

Praelati et Canonici totumque Capitulum
Ecclesiae Metropolitanae Gneznensis

⁶²⁹ Iacobus Uchański.

⁶³⁰ Stanislaus Hosius.

⁶³¹ 6 Ianuarii.

⁶³² Martinus Izdbieński, Stanislaus Grotkowski et Iacobus Milewski, canonici Cracovienses, cfr.

A. 3.

**Citatio Nicolai Wolski
mandato Iulii Ruggieri
a Sebastiano Żydowski facta**

Varsaviae, 12 XII 1566.

Documentum peractae citationis Nicolai Wolski, epi Vladislaviensis, in causa inter eum et aepum Gnesnensem vertente.

Autogr.: Olsztyn, ADWO, D 64 f. 25r.

Anno Domini MDLXVI, die Iovis, XII mensis Decembris, Varschoviae. Ego Sebastianus Zidowsky, clericus Dioecesis Gnesnensis, Sacra auctoritate Apostolica Notarius publicus, vigore praesentium, requisitus, parendo mandatis Ill.mi Domini⁶³³ et Rev.morum introcontentorum Dominorum Commissariorum, a Sede Apostolica specialiter datorum, accedens personaliter Rev.dum in Christo Patrem et D.num D.num Nicolaum Volski, Dei gratia Epum Vladislaviensem, ipsum monui, citavi, requisivi, terminumque, ut intro mandatur, ad diem XXI ab executione, ipsa die executionis exclusa, assignavi, et in vim verae executionis copias citationis eidem tradi, offerens me, in quantum necesse fuerit, instrumentum executionis publicum extraditurum. Praesentibus Domino Palatinide Chioviensi⁶³⁴ et Doctore Pontificio⁶³⁵ et aliis. Datum ut supra.

A. 4.

**Franciscus Sunyer SJ, viceprovincialis Poloniae
Francisco Borgia SJ, praeposito generali**

Braunsbergae, 14 XII 1566.

Significat in colloquiis, Heilsbergae die 27 XI de collegio Societatis Iesu instituendo et de seminario dioecesano Braunsbergae condendo habitis, nuntium arbitratum esse eiusmodi seminarium Iesuitarum administrationi sta-

⁶³³ Scil. Iulii Ruggieri.

⁶³⁴ Constantinus Basilius (ca. 1526-1608), filius Constantini, ducis de Ostróg, ab a. 1559 palatinus Kioviensis.

⁶³⁵ Laurentius Pontificius (de Biskupice), doctor medicinae, magister Universitatis Cracoviensis, canonicus Crusvicensis et Vladislaviensis.

tim subiciendum esse. Desiderium eius probat, ut catholicis Gedanensibus, quorum civitas fere tota a "protestantibus" incolebatur, concionator Iesuita ex Superiore Germania auxilio mittatur; huic missioni patrem Gregorium (Rossephium) idoneum futurum esse putat.

Autogr.: Roma, ARSI, Germania 147 f. 290r-291v. In f. 276v inscriptio, et vestigia sigilli.

-Ed.: Glemma OKDG, p. 103-104 (fragmentum).

Molto Rev.do in Christo Padre N.ro.

Pax Christi etc.

De collegio Societatis Iesu instituendo et de seminario dioecetano Braunsbergae condendo. Ali 27 del medesimo [mese di Novembre] furono trattate le medesime cose dali Canonici in presentia del cardinale in Heylsperga. Et il cardinale a tutte si mostrò promptissimo, excepto il secondo punto, del quale in [291r] niuna maniera volse sentire, cioè che noy ci liberassimo de la cura del Seminario, portando le medesime ragioni che portorono li Canonici. [...] Il nuncio del papa era ancora de la medesima sententia, iudicando che in niuna maniera ci potiamo [sic] escusare di tal cura et che una de le utili opere che la Compagnia possa fare in queste bande sarà questa; il voler io differir la cosa fino ad aver il consenso di la Paternità V.ra era impedire la fundatione et affligere il cardinale et dar che dire anchora ali altri. Et così mi risolse di consentir in quel punto. [...] ⁶³⁶

[291v] Il legato del papa a toccato una cosa che pare sarà aprire una gran porta per l'agiuto di tutta la Prussia, nella quale Gedano è una città principalissima per un porto che tiene de li più belli che siano in tutta la christianità. Li senatori sonno tutti heretici, et così gran parte del populo li seguita. Et benchè ci siano molti christiani buoni, pur non hanno ardire di publicarsi, et in dui o tre chiese che ci sonno di catholici vanno di nascosto [sic] per non esser visti et monstrati con li detti. Nella città comunemente non ci sonno altri predicatori che heretici, ma tanto fra se divisi et di così mal exempio che, secondo uno mi disse quando io ero in Gedano, loro stessi dicono che sonno forzati a mutare.

Crede mons. nuncio che quando uno deli nostri potesse liberamente et securamente predicare in quella città, che facesse grande frutto. Et però mi dimandavo che quando luy trattasse col Re questa cosa et col vescovo

⁶³⁶ Secundum punctum "Constitutionum Seminarium Ecclesiasticum Braunsbergae", die 16 XII a. 1566 latarum, fuit: "De curatoribus Seminarium", cuius vigore, praeter rectorem et Iesuitarum praefectos, etiam curatores, ab episcopo et capitulo cathedrali nominati, regimini seminarium interesse poterant (vide Henryk Gulbinowicz, *Geneza konstyucji Hozjańskich Seminarium Duchownego w Braniewie*, "Studia Warmińskie" 5 (1968) p. 43-65.

de Cuyavia⁶³⁷, sotto la diocesi del qual sta quella città, che potessi predicare uno de li nostri in quella città, se tenesemo noy apparecchiato un homo docto et sufficiente per detto effecto, che luy procurarebbe che il vescovo a luy et un suo compagno o dui gli facesse le spese. Io gli risposi che di questa cosa ne scriverebbe a la Paternità V.ra et al padre provinciale⁶³⁸. A me certo, Padre, mi pare, se non mi gabba l'affetto, che sarebbe in quello luogo grande occasione di glorificar Iddio, quando ci fusse un valente predicatore de li nostri et che sicuramente potesse predicare. Il qual bisognarebbe che fusse Tudesco de la superior Germania, perchè si ben in quella città, et in questa et altre del vescovato, se intende la lengua flandrica, niente di meno è tenuta per effeminata et li homini et nobiltà non la usano.

Credo che sarebbe una utile missione di alcuna persona docta, facunda et bona; et che tal occasione non sarebbe di perdere. Mi occorreva a me bono per questo il padre Gregorio⁶³⁹, quello che già un tempo con molta sodisfatione predicava in Vienna, o qualsivoglia altro che paresse a la Paternità V.ra. Et forsàn potrebbe stare sotto la obedientia del rectore di Braunsperga⁶⁴⁰, sendo che di là fino a Gedano non ci sonno più de 21 miglia tudesche. La Paternità V.ra mi faccia dar aviso di quello che ho di rispondere al legato.

Con altra scriverò stesamente del stato dil collegio di Braunsperga, che adesso, per non haver più tempo non mi posso più stendere. Ci raccomandiamo tutti humilmente ali sancti sacrifici et orationi de la Paternità V.ra. Di Heylsperga, ali 14 di Decembre 1566.

Di V.ra Rev.da Paternità

indegno servo in Iesu Christo
† Francesco Sunyer †

⁶³⁷ Nicolaus Wolski.

⁶³⁸ Laurentius Maggio (1531-1605), rector collegii Societatis Iesu Vindobonae, annis 1566-1578 praepositus Iesuitarum provinciae Austriacae, cui ad a. 1574 Iesuitae Poloni subiecti erant.

⁶³⁹ Gregorius Rossephius (Wolfschädl, 1538-1623), annis 1560-1563 concionator Vindobonae floruit, postea annis 1600-1609 provincialis Superioris Germaniae. Praepositus generalis Franciscus Borgia petenti Francisco Sunyer non satisfacit (vide Glemma OKDG, p. 12-14).

⁶⁴⁰ Christophorus Strobel (1536-post 1574), de provincia Rhenana, primus rector collegii Societatis Iesu Braunsbergae; a. 1574 ad Ordinem sancti Benedicti transivit.

A. 5.

**Citatio Iacobi Uchański
mandato Iulii Ruggieri
a Sebastiano Żydowski facta**

Lovicii, 16 XII 1566.

Documentum peractae citationis Iacobi Uchański, aepi Gnesnensis, in causa inter eum et Nicolaum Wolski, epum Vladislaviensem, vertente.

Autogr.: Olsztyn, ADWO, D 64 f. 25v cum annotatione: "Ex Cancellaria Apostolica nuncii. Citatio in Aepum Gnesnensem".

Anno Domini MDLXVI, Die vero Lunae, 16 mensis Decembris, Lovicii.

Ego Sebastianus Zidowsky, clericus Dioecesis Gnesnensis, Sacra autoritate apostolica Notarius publicus, vigore praesentium, requisitus, parendo mandatis Ill.mi Domini et Rev.morum introcontentorum D.norum Commissariorum a Sede Apostolica specialiter datorum, accedens personaliter Rev.mum in Christo Patrem et D.num Dominum Iacobum Uchansky, Dei gratia Aepum Gnesnensem, ipsum monui, requisivi et citavi, terminumque, ut intro mandatur, ad diem XXI ab executione, ipsa die executionis exclusa, assignavi et in vim vere executionis copias citationis eidem tradidi, offerens me, in quantum necesse fuerit, instrumentum executionis publicum extraditurum. Praesentibus D.no Ioanne Pakoszewski⁶⁴¹ et Francisco Lypski⁶⁴² atque aliis.

Datum Lovicii, die 16 mensis Decembris, Anno Domini MDCLXVI.

Sebastianus Zidowski manu propria scripsit.

⁶⁴¹ Ioannes Pakoszewski in Catalogo praelatorum et canonicorum Gnesnensium, a Ioanne Korytkowski edito, non invenitur.

⁶⁴² Franciscus Lipski (1537-1618), cancellarius apud avunculum suum Iacobum Uchański, a. 1572 ad canonicatum Gnesnensem, brevi post ad archidiaconatum Lancieniensem evectus.

A. 6.

Aepus Iacobus Uchański
card. Stanislao Hosio

Lovicii, 24 I 1567.

Dubia, an rex informandus sit de synodo provinciali celebranda, exponit et sententiam eius de modo, quo celebrari debet, expetit.

Or.: Kraków, BCz 1609 IV p. 43. In p. 44 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "redditae 28 Ianuarii 1567, responsum 30 Ianuarii Heilsbergae". Epistula haec scripta esse videtur una cum praecedenti eam in codice, propterea quod neque salutationem in initio, neque subscriptionem in fine habet.

-Ed.: Wierzbowski U III, p. 169-171.

Post exaratas litteras, melius deliberato visum est, ne forte quocumque casu litterae per puerum Dembowski⁶⁴³ ad perferendum meis mandataris datae interciderent, quod in illis praecipuum fuit adhuc repetere, videlicet quod per D.num Radogoski⁶⁴⁴, Secretarium suum, Sacra Regia Maiestas mihi significari voluit, ut non nisi unanimi consensu Rev.morum D.norum Episcoporum Synodum indicerem, et ubi consensum eorum habuerim, Suae Maiestati nuntiarem, tunc se Sua Maiestas suum Nuntium de more missuram ad Synodum promisit. Qualis vero consensus Rev.morum ipsorum Dominorum fuerit, toties per me requisitus et expeditus, iam Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra ex his, quae Mandatarii mei retulerunt et monstraverunt, satis cognovit. Quomodo autem de Rev.morum D.norum Episcoporum atque mea unanimi voluntate Sacram Regiam Maiestatem, et imprimis de mandato Ss.mi Domini Nostri et mente Ill.mae ac Rev.mae Dominationis V.rae ac Rev.mi Apostolici Nuntii certiosem faciam, in tanta sententiarum diversitate rationem certe apud me non invenio, cum et Barnabas quidam⁶⁴⁵ iam nunc in eandem simulationem discesserit, sicut ex litteris per meos ostensis Rev.ma Dominatio V.ra abunde iam intellexit. Atque si ita, ut res se habet, Suae Sacrae Maiestati significarem, metuo, ne ansam praeberem ad deteriora. Secus autem, quam se res habet, fortasse non licet neque expedit Suam Maiestatem informari, prout id Ill. ma et Rev.ma Dominatio V.ra longe melius perspicit.

⁶⁴³ Forte Andreas Dębowski, vide N. 39.

⁶⁴⁴ Ioannes Radogoski, cfr. supra, N. 31.

⁶⁴⁵ Forte Andream Noskowski, epum Plocensem, in mente habet, qui propter provectam aetatem suam ad synodum venire noluit (cfr. Wierzbowski JU, p. 366).

De articulis ad Synodum proponendis modus ab Ill.ma et Rev.ma Dominatione V.ra et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico mihi perscriptus vehementer placet. Ita quodocunque integrum fuerit arbitrato Ill.mae et Rev.mae Dominationis V.rae cum Rev.mo [D.no] Nuntio Apostolico in litteras, tam oclusas quam publicas, processus nuncupatas, non cunctabor neque negligam inserere loco suo. Sed oro et obsecro, ut his omnibus, quae iam scripsi antea, nuntiavi ac demonstravi, pro sua sapientia appensis et examinatis, tandem mihi iudicium suum et voluntatem declarare dignetur et informare me, quid, qua ratione, quoque ordine aggrediendum et progrediendum mihi sit hoc negotium Synodi, et quo modo in eo procedendum, ut non frustra et cum invidia multorum indici et, quod Deus avertat, postea impediri, dissipari seu interrumpi possit; quod aliquoties iam magno dolore nostro, nec minori dedecore et iactura plurimarum bonarum rerum experti sumus. Exspecto planum, resolutum et ultimum in hac causa Synodi responsum ab Ill.ma et Rev.ma Dominatione V.ra et Rev.mo D.no Nuntio Apostolico. Nam quod attinet meas et meorum causas, cum Rev.mo Cuia-viensi controversas⁶⁴⁶, confido in Domino et in Ill.ma et Rev.mis Dominationibus V.ris, quod idem, quae nuper etiam in finem sapiant, et si quis eas conturbat, portabit iudicium, quicumque est ille. Iterum atque iterum me et obsequia mea Ill.mae et Rev.mis Dominationibus V.ris accuratissime commendo. 24 Ianuarii 1567.

A. 7.

**Sigismundus Augustus rex Poloniae
Pio V pontifici maximo**

Cnissini, 30 I 1567.

*Modernum epum Victorinum Wierzbicki in locum nuper defuncti epi Lu-
ceoriensis Ioannis Wierzbicki se nominasse nuntiat. Petit, ut sua nominatio
confirmetur.*

Or.: AV, Lett.Principi 31 f. 362v-363r. In f. 362r sigillum et inscriptio.

Ss.me et beatissime in Christo Pater.

Post oscula pedum beatorum, regnique mei et dominiorum meorum
commendationem. Cum nuper mortuus esset in Domino Rev.dus olim Io-

⁶⁴⁶Cfr. N. 17, 24-29, 31, 38.

annes Andruschowycz, Epus Luceoriensis⁶⁴⁷, Magni Ducatus mei Lithuaniae, cupiens pro officio meo prospicere, ne Ecclesia Luceoriensis diutius suo pastore careret, nominavi in locum defuncti ad dictam Ecclesiam Luceoriensem, pro more et consuetudine ac legibus iam pridem in Regno meo observatis, Rev.dum in Christo patrem Victorinum Wyerzbyczki⁶⁴⁸, Epum Mednicensem modernum, virum in Magno Ducatu meo Lithuaniae nobili et clara familia natum ac singulari probitate, sinceritate, morum et vitae mansuetudine praeditum, quique in administranda dicta Ecclesia Mednicensi, cui hactenus praefuit, et in omnibus Reipublicae negociis ac senatoriis functionibus ita fidem, virtutem, integritatem, vigilantiam et industriam suam ac in religione catholica constantiam mihi et Reipublicae probavit et declaravit, ut quem in hoc genere illi anteferre possim, habeam neminem.

Quamobrem supplico Sanctitati V.rae, ut hanc meam nominationem ratam et gratam habere illamque auctoritate sua pontificali, qua in terris secundum Deum maxima fungitur, approbare et confirmare velit. Ita quidem, ut absoluto primum ipso Rev.do Victorino Wyerzbiczky ab eo vinculo, quo prius Ecclesiae Mednicensi copulatus et addictus fuerat, eum deinde ad Ecclesiam Luceoriensem vigore nominationis huius nostrae transferat et Epum Luceoriensem declarari faciat. Qua in re ut nulla interponatur mora, Sanctitatem V.ram maiorem in modum rogo. Permultum enim interest et Ecclesiae huic et Ducatus mei rationibus, ut quam primum hoc negotium perficiatur. Quod quidem Sanctitatem V.ram pro officio suo ac in Ecclesiam Dei studio non gravatim facturam confido. Cuius paternae benevolentiae me et regnum ac dominia mea diligenter commendo, illamque bene ac prospere valere et omni felicitatis genere florere cupio. Datum ex oppido meo Knischin Magni Ducatus mei Lithuaniae, die trigesima mensis Ianuarii, anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, regni vero mei trigesimo septimo.

(a-Sigismundus Augustus Rex Poloniae
manu propria subscripsit^{a)})

a-a) *Autographum.*

⁶⁴⁷ Ioannes Andruszkiewicz († 1566/1567), annis 1546-1556 epus Kioviensis, ab a. 1556 Luceoriensis.

⁶⁴⁸ Cfr. N. 57, 70, 87, 94 et infra A. 8, A. 13.

A. 8.

**Sigismundus Augustus rex Poloniae
Pio V pontifici maximo**

Cnissini, 19 II 1567.

Petit, ut nominationem Georgii Pietkiewicz ad episcopatum Mednicensem, per promotionem Victorini Wierzbicki ad ecclesiam Luceoriensem vacantem, confirmet, data facultate duo sacerdotia retinendi.

Or.: AV, Lett.Principi 31 f. 364v-365r. In f. 364r sigillum et inscriptio.

Beatissime Pater. Post oscula pedum beatorum, plurimam salutem Sanctitati V.rae precor meque ac mea dominia commendo.

Proximis iisce diebus Epus Luceoriensis, Rev.dus olim Ioannes Andruszewic, in Magno Ducatu Lituaniae, e vivis sublatus est. In cuius demortui locum Rev.dum Victorinum Wirzbiczki, Epum Mednicensem, dignum eo munere nominavi⁶⁴⁹. Ne autem et Mednicensis Episcopatus suo pastore diutius careret, pro officio meo cupiens Ecclesiae Dei in omnibus terris Dominiorum meorum prospicere et bene consultum esse, ad eundem Episcopatum per sublimationem vacantem, quem magis idoneum suffici posse existimarem, non video, quam Georgium Petcovium, eiusdem Ecclesiae Mednicensis Canonicum et in ea Provintia natum, in qua Episcopus esse per Patr[i]ae leges antiquitus observatas non licet nisi indigenis ipsisque nobilibus. Cui accessit praeterea ad non vulgare ingenium doctrina et eruditio, cum alias, tum Patavii et Ferrariae multis annis audiendis doctissimis bonarum litterarum professoribus acquisita, ubi et Doctoratus insignia et gradum consecutus est. Accessit et collegarum favor et suffragium a nobis sibi hunc Episcopum dari expetentium, atque etiam intercessio omnium Provinciarum Magni Ducatus Lituaniae Legatorum in proximis comitiis celebratis. Praeter haec accesserunt ingenui mores et vitae integritas. Quare, cum omnia pro eo faciant, quae in iisce nostris Regionibus Episcopum habere oportet, peto a Ss.mo Domino Nostro, eum autoritate sua benigne confirmet ac in episcoporum ordinem referat.

Quoniam autem ille Episcopatus Mednicensis non tantis censetur fructibus, qui ei pro dignitate alendo sufficere possint, cum Episcopi omnes nostri senatoria quoque dignitate fungantur, saepeque nobis de Republica deliberantibus adesse habeant necesse, circumducant praeterea secum ac alant sui a contemptu vindicandi gratia familiarem ex Nobilibus lectum comitatum, more institutoque apud nos veteri, viros quoque doctos in aulis

⁶⁴⁹ Cfr. A. 7.

suis, hoc praesertim tempore, quo haereticorum dogmatibus dementatae sunt hominum mentes, servent oportet, si suam Ecclesiarumque auctoritatem ac dignitatem retinere velint; itaque non minus a Sanctitate V.ra peto, ut sacerdotia duo eiusdem Diocesis [sic] coniunctim cum Episcopatu possit retinere ratione praedictorum, quemadmodum et superiores Episcopi solebant, rigoremque eius, quae in proximo Tridentino Concilio lata est, legis in eo Episcopatu ne produci patiatur, in quo Episcopi maioribus quam in aliis fere partibus impendiis subiecti sunt. Cuius rei rationem habituram Sanctitatem V.ram certo mihi persuadeo, confisus illius de omnibus orbis partibus paternae sollicitudini. Commendo iterum atque iterum me Dominiaeque mea Sanctitati V.rae. Quam ut Deus Ecclesiae suae diutissime servet incolumem, precor. Datum in Knyszyn, XI Kalendas Marci, anno a partu Virgineo M.D.LXVII, Regni vero nostri XXXVII.

Eiusdem Sanctitatis V.rae observantissimus filius

(^a-Sigismundus Augustus Rex Poloniae
manu propria subscripsit^a)

^{a-a}) *Autographum.*

A. 9.

Valentinus Kuczborski
Martino Cromero

Heilsbergae, 20 II 1567.

Scribit ei de causa inter aepum Gnesnensem et epum Vladislaviensem mox iam sopienda; de nuntio apostolico quidque is de Martino Cromero sentiat; de canonicatu Bartholomaei Plemięcki.

Autogr.: Kraków, BJ, ms. 28 I f. 304r-305v. In f. 305v inscriptio, sigillum et annotatio: "21 Marti".

Rev.me Domine, Pater, confrater observandissime. Salutem et obsequiorum commendationem.

Agitur nunc causa inter Rev.mos D.nos Archiepiscopum et Cuiaviensem Episcopum⁶⁵⁰. Utraque pars ad concordiam se promptam ostendit,

⁶⁵⁰ Cfr. supra A. 3, A. 5.

sed una petit pecuniam, alia verba dat et ratas, ut vocant, solutionis concedi sibi postulat. Domini Commissarii, ne vel utramque vel alteram saltem offenderent, neve concordiam abrumperent, iurisdictionem suam produxerunt ad dies 15. Interea utraque pars ad suum principalem referet de tempore solutionis. Iam Cotarski⁶⁵¹ quinque millia se persoluturum pollicetur, 3 pro festo Dominici proximo⁶⁵², reliquum vel pro alio festo Dominici vel alio termino breviori. Archiepiscopi vero mandatarii instant, ut pro Dominica Laetare⁶⁵³ pars dimidia, reliquum pro Pascha⁶⁵⁴ solvatur. Commissarii incedent fortasse media via, sed noluerunt tamen hoc tentare insalutata utraque parte. Et ideo Rev.mus D.nus Nuntius, qui iam erat die crastina discessurus in Poloniam, manebit adhuc nobiscum ad 15 dies, ut postquam uterque mandatarius a suo principali informationem acceperit, aliquid in ea causa statui possit. Ad Episcopum etiam Plocensem⁶⁵⁵ scriptum est, quod ille se facturum pollicebatur, ut in hunc usum det mutuo pecuniam Rev.mo Wladislaviensi cum petierit, quo celerius ea ineatur concordia.

[304v] Nos ad Comitata Mariana⁶⁵⁶ cras discedimus. Rev.mus D.nus Nuntius prosequetur Cardinalem Brunspersgam usque et ibi eius reditum expectabit. Magister Symon⁶⁵⁷ fuit nuper apud Nuntium, sed post primum congressum, cum ille apostatam istum esse ex Divi Thomae⁶⁵⁸ sententia comprobasset, insalutatis omnibus, nec viso Cardinali, discessit. Nusquam se Iesuitam, sed alumnum Iesuitarum vocat. Vehementer illi a Lutheranismis metuimus. Incipit enim Pontifices Romanos heresis et vitae impuritatis incessere, qui solet proximus esse gradus ad heresim. Quo nunc se receperit, ignoramus.

Rev.mus D.nus Nuntius quo sit erga Rev.mam Dominationem V.ram animo, nescio, sed in ea sententia esse videtur, ut putet illam suis sacerdotiis metuere et propterea Synodum nolle. Nam ea de re semel cum Cardinali egit et dixit: Putant, inquit, quod ego velim auferre illis sacerdotia, non me intellexit Cromerus, immo si quis eis vellet auferre, ego prohiberem et eos defenderem. Itaque cum nunc hoc, nunc illud loquatur, nec fere sibi constet, difficile est ex eo quid velit vel quo sit animo cognoscere⁶⁵⁹.

⁶⁵¹ Benedictus Kotarski, mandatarius epi Wladislaviensis, vide supra N. 43.

⁶⁵² 4 VIII.

⁶⁵³ Domenica IV Quadragesimae, quae a. 1567 incidit in diem 9 III.

⁶⁵⁴ 30 III 1567.

⁶⁵⁵ Andreas Noskowski, vide supra N. 42.

⁶⁵⁶ De comitiis Prussiae, Marienburgi celebrandis, agi videtur.

⁶⁵⁷ Simon Hagenau (cfr. N. 24).

⁶⁵⁸ S. Thomas Aquinas.

⁶⁵⁹ Die 22 III 1567 Ioannes F. Commendone scripsit Stanislawo Hosio: "Dissidere istic Nuntium Apostolicum et Cromerum nostrum et exercere inter se similitates multorum litteris nuntiatum est. Id mihi accidit permoleste, qui Cromerum feci semper plurimi et Apostolicum Nuntium deserere ab illis, quibus fulciri deberet, perniciosum puto. Non dubito, quin Dominatio V.ra Ill.ma, cuius apud utrunque antiquissimam esse auctoritatem scio, operam datura sit, ut reconcilientur studiaque ad commune commodum istarum rerum coniungant. Illam rogo, ut quid agatur istic ad me perscribi

[305r] Scriptum est illi ex Urbe Plemetium⁶⁶⁰ non esse eligendum ad Canonicatum, sed assumendum vigore Coadiutoriae. Causam addit Tici-
nus⁶⁶¹, quod Ecclesia Varmiensis non includatur in Concordatis Germa-
niae. *De rebus privatis Cromeri disserit.*[305v] Ex Heilsperga, 20 Februarii
1567.

A. 10.

Sigismundus Augustus, rex Poloniae Pio V pontifici maximo

Varsaviae, 23 VI 1567.

*Petit, ut nominationem Stanislai Karnkowski in epum Vladislaviensem
confirmet.*

Or.: AV, Lett. Principi 31 f. 368v-369r. In f. 368r sigillum, in f. 368r-v inscrip-
tio et in f. 369v annotatio: "Il Re di Polonia a 24 di Giugno 1567. Memo-
ria alla Chiesa d'Vladislavia il Referendario Carnicoski".

-Ed.: Ehrenberg UA, p. 240-241.

-Ed.: Wierzbowski MDP I, p. 132.

Beatissime pater et domine domine clementissime. Post oscula *etc.*

In locum Rev.di olim in Christo patris, D.ni Nicolai Wolski, Epi Wladi-
slaviensis, qui in Martio proximo mortuus est⁶⁶², renuntiavi hoc tempore
Ven.lem Stanislauum Carnowski, Iuris Utriusque Doctorem, Cantorem
Gnesnensem, Scholasticum Lancitiensem, Canonicum Cracoviensem et
Curiae meae Secretarium maiorem ac Referendarium⁶⁶³. Qui nobilissimis
domi suae procreatus parentibus, cum primam aetatem, partim in nostris,
partim in Italicis scholis versatus, in his artibus pr[ofecis]set^{a)}, quibus
aluntur animi hominum ad haec eiusmodi Ecclesiarum munera in Repu-
blica cum dignitate sustinenda, ita deinde doctrinam quidem ac eruditio-
nem suam omnibus gymnasiis in quibuscumque vixit, virtutem autem,
mo[dest]iam^{a)}, dexteritatem reliquasque animi ac ingenii sui dotes primum
Rev.mo olim in Christo patri D.no Ioanni Przerebski, Aeopo Gnesnensi, do-

iubeat" (or. Olsztyn, ADWO, D 24 f. 21r). Postea tamen ipse Martinus Cromerus Stanislauum Hosium
fecit certiore: "cum nuntio sibi bene convenire" (autogr. Hosii, datum Heilsbergae 9 I 1568: Kraków,
BJ, ms. 60 III p. 1015).

⁶⁶⁰ Bartholomaeus Plemięcki, cfr. N. 33, 57.

⁶⁶¹ Georgius de Tyczyn (ca. 1510-1586), ab a. 1548 usque ad mortem "agens" regius apud Se-
dem Apostolicam Romae commorabatur, ab a. 1560 secretarius regius.

⁶⁶² Nicolaus Wolski obiit die 3 III a. 1567, vide supra N. 49.

⁶⁶³ Cfr. supra, N. 61, 63, 65 et infra, A. 14.

nec is in aula mea Vicecancellarii munere functus est⁶⁶⁴, deinde vero mihi quoque iam in hoc isto Secretariatus maioris et Referendariatus munere approbavit, ut dignus mihi maxime sit visus, in quem hunc Episcopatum Wladislaviensem, qui primo Episcopatu in Regno meo proximus est, conferrem, sperans ipsum et [pr]opriis^{a)} quidem nixum virtutibus, et praeterea patrum sui vestigiis insistentem, qui ante XXX annos eidem episcopatu Vladislaviensi, cum laude praefuit⁶⁶⁵, tam Ecclesiae Episcopum, quam Reipublicae ipsi Senatorem magis at[que magis]^{a)} utilem fore atque idoneum.

Commendo illum magnopere Sanctitati V.rae, ab eaque peto et quaeso, ut renuntiationem hanc meam ratam habere, eamque auctoritate sua confirmare velit. Sic enim sibi Sanctitas V.ra persu[adeat]^{a)}, cum omnes Ecclesiae in Regno meo pastore suo indigeant, tum praecipue Ecclesiae istius Wladislaviensis eas esse rationes, ut omnibus iis incommodis, quibus Ecclesiae hoc tempore obiectae ac expositae sunt, magis omnino pre[matur]^{a)} quam ulla alia Ecclesia in Regno meo. Habet enim Dioecesi suae adiunctam Pomeraniam, quae propter vicinitatem Germanicarum provinciarum plus etiam eius luis contraxisse videtur, quae Ecclesias hoc tempo[re] p[er]vagratur^{a)} ⁶⁶⁶. Quo etiam libentius feci, ut huic in tam periculoso loco positae Dioecesi eum hominem praeponerem, qui mihi, cum multis aliis ex virtutibus charissimus, tum vel maxime propter religionem et pie[tate]m^{a)} commendatissimus existit. Pergratum mihi et Ecclesiae illi peropportuno Sanctitas V.ra fecerit, si illum quam primum confirmatum esse voluerit. Quod non dubito Sanctitatem V.ram facturam esse. Quam optime valere cupio, cuique me ac Regnum et Dominia mea omnia etiam atque etiam commendo. Datum Varshoviae, die XXIII mensis Iunii, anno Domini MDLXVII.

Eiusdem Sanctitatis V.rae obsequentissimus filius

(^b-Sigismundus Augustus Rex Poloniae
manu propria subscripsit^{-b)})

^{a)} *Charta lacerata.*

^{b-b)} *Manu ipsius regis.*

⁶⁶⁴ Ioannes Przerembski (ca 1519-1562), vicecancellarius regni ab a. 1552, ab a. 1559 aepus Gnesnensis, primas Regni Poloniae.

⁶⁶⁵ Ioannes Karnkowski († 1537), a. 1527-1531 epus Premisliensis, a. 1531-1537 epus Vladislaviensis.

⁶⁶⁶ Id est protestantismi.

A. 11.

Card. Stanislaus Hosius
card. Ioanni Francisco Commendone

Heilsbergae, 23 VI 1567.

Notum facit se frequenter ad eum scribere; rem Crausensem et legationem nondum esse expeditam; de synodo provinciali celebranda omnino taceri; ad comitia regni forte adhuc se esse profecturum; rumores de dissidiis inter nuntium apostolicum et Martinum Cromerum non veros esse; de rebus Regiomonti gestis. Causam Valentini Kuczborski, qui catechismum iam absolvit, iterum commendat. De opere sibi imposito queritur.

Or.: olim in Città di Castello, AMG, ms. 51 f. 188r-189v (hodie non invenitur).

Quod raras meas accipit, mirari satis non possum, cum vix ullam scribendi occasionem praetermittam. De Crausensi re⁶⁶⁷ mihi Ticinus⁶⁶⁸ nihil misit. Videntur haec bona prope denuo vendi, tanta pecunia exigitur. Cum tamen quidquid ex eis bonis pecuniae provenerit, in pias causas omne convertatur, nisi ducatus ungaricos 30. Si poterit expediri negotium, bene est, sin minus, et haec pecunia peribit, quod isthic inusitatum non est. Nihilominus pro navata opera magnam habeo gratiam Ill.mae Dominationi V.rae. Sed nec legatio⁶⁶⁹ expedita est. Si esset in iis fides, in quibus esse debebat, non laboraremus.

De Synodo videbatur iam sententiam Nuntius mutasse, nec eam amplius urgere velle, sed aliud ex Ill.mi Card. Alexandrini litteris cognovisse videor. Antequam Comitia fuerint absoluta, non potest haberi. Nunc nihil de ea tractari nec ullam fieri mentionem audio. Mihi deliberatum erat ad Comitia proficisci, sed sub eorum finem, et ut id facerem, urgebant vehementer harum terrarum Consiliarii, sed mihi tamen data est potestas in Dioecesi mea permanendi, qua fortassis utar. Nam non video, quem sit fructum in illis allatura praesentia mea, cum quomodo res agantur, Ill.ma Dominatio V.ra non ignoret. Metuo, ne quis meam hanc absentiam sic interpretetur, quasi vel sumptus vel molestias et labores vel pericula defugiam, sed hoc Ill.ma Dominatio V.ra certo sibi persuadere potest, quod me nihil horum deterreret, si qua spes rei bene gerendae affulgeret, quod etiam ut alii sibi de me persuadeant, illius opera perfici velim; quanquam

⁶⁶⁷ Bona Krausen Stanislaus Hosius vendere volebat, ut seminarium clericorum dotaretur, sed capitulum huic consilio diu consentire renuit (vide Eichhorn II, p. 284-285).

⁶⁶⁸ Georgius de Tyczyn.

⁶⁶⁹ Legatio dioecesana, cfr. Eichhorn II, p. 284-285.

si duraverint aliquamdiu Comititia⁶⁷⁰, fieri potest, ut adhuc ad ea proficiscar.

De dissidiis et simultatibus inter Nuntium et Cromerum unde nata sit fabula, mirari satis non possum⁶⁷¹. Fuit apud me Cromerus menses aliquot una cum Nuntio. Est ita, quod non semper inter eos conveniebat, quod aliud hic, aliud senserit ille, sed nihilominus eum qui debebatur Nuntio apostolico honorem illi semper habuit. Et mihi quandoque diversum ab illo sentire contigit, sed haec opinionum dissensio nullam animorum disiunctionem peperit. Audio nunc desiderari Lypomanos⁶⁷² et Commendonos, nos vero, qualescunque mittantur, eam nihilominus quam par est illis reverentiam exhibebimus.

Novarum rerum quod scribam nihil habeo. Regiomonti simul habita sunt synodus et comitia. Creati sunt aposcopi⁶⁷³ duo, doctrina Osiandri condemnata est⁶⁷⁴. Calvinistas, quoniam defendit numerus iunctaeque ambone phalanges, aposcopi aggredi ausi non fuerunt, intactos eos reliquerunt. E scheda litteris inclusa, quid ea de re mihi Regiomonte scriptum est, cognoscet. Calvinistae multi commigrasse Dantiscum ex inferiore Germania feruntur. Metuo, ne nobis turbas dent aliquas. Regni comitia sunt qui dicant iam absoluta, sunt qui longius extracta iri putant. Turcarum tyrannus ultro pacem nobis offert.

Cusborii causam quod sibi commendatam habet, ago gratias⁶⁷⁵. Iam is catechismum absolvit⁶⁷⁶, quem ego fideliter et eleganter versum esse iudi-

⁶⁷⁰ Hoc tempore comitia Petricoviensia iam absoluta sunt (ante diem 20 VI 1567).

⁶⁷¹ Vide A. 9. Martino Cromero Stanislaus Hosius retulit de die Heilsbergae 26 IV 1567 etiam aepum Iacobum Uchański: "nonnihil de Nuntio queri" (autogr. Kraków, BJ, ms. 60 I, p. 38).

⁶⁷² Aloisius Lippomano, a. 1555-1557 nuntius apostolicus in Polonia, vide R. 1, cap. X, notam 472.

⁶⁷³ Paronomastice pro "episcopi". Electi sunt: Ioachimus Mörlin, epus Sambiensis, et Georgius Venediger, epus Pomesaniensis.

⁶⁷⁴ Andreas Osiander (1498-1552), administrator episcopatus Sambiensis et professor theologiae Universitatis Regiomontanae, cuius doctrina catholicae propior erat quam reliquorum Lutheranorum. Docebat enim inter cetera iustificationem hominis fieri non per meritum Christi imputationem, sed per realem "habitationem" in homine iustitiae divinae. Asserebat praeterea absolutionem a peccatis per sacerdotem factam remissionis peccatorum conditionem esse.

⁶⁷⁵ Quale fuerit hoc negotium, patet ex Actis Capituli Cracoviensis (Kraków, AKKK, ms. 6, f. 125v), ubi sub die 24 IX 1568 legitur: "Rev.do domino Valentino Kuczborski, archidiacono Pomeraniae, canonico Cracoviensi, diligentius petente, ut quandoquidem lis, actio et controversia, quam cum adversario suo ven.li domino Paulo Sthempowski, secretario et oratore apud Ss.mum Dominum Nostrium Regiae Maiestatis, et super canonicatu et praebenda sua Cracoviensi fundi Thopolia in Curia Romana motam, introductam et indecisam pendentem habuit, extincta iam et sopita esse morte ipsius adversarii domini Sthempowski, nuper Mediolani interveniente, censeri debet, dignarentur se ad ingressum capituli et participationem omnium distributionum ecclesiae et quarumvis obventionum capitularium domini admittere, cooptari et restituere. Et in continenti pro verificationis allegationis suae exhibuit litteras quasdam misiles [sic] Roma ad se de morte praefati domini Sthempowski et de surrogatione sua in ius defuncti impetrata etc. scriptas: Petrus etc. ut supra. Et rev.di domini, audita petitione praefata, quamvis statutum de duobus pluribusve litigantibus, quod quidem in talibus casibus semper observari est solitum, ei opposuerunt, verum examinato diligentius toto hoc negotio, compererunt casum hunc ipsius domini Kuczborski cum Sthempowski defuncto diversum esse et cum verbis statuti praefati illiusque sensu plurimum discrepantem. Atque ita pluralitate suffragiorum ip-

co. Dignus mihi videtur, cuius isthic ratio habeatur saltem in hoc, ut ei litigare necesse non sit, quo possit animo quietiore sacrarum litterarum studiis operam navare, quod Ill.mus card. Sabellus⁶⁷⁷ curaturum se promiserat. Quaeso, ut eum huius promissi per occasionem commonefaciat, simul ei obsequia mea deferat. Quod scribit Ill.ma Dominatio V.ra non esse in illius potestate, quo mihi munus aliquod imponatur, efficere, iam est impositum, et quidem gravius quam quod humeri mei ferre queant⁶⁷⁸. Deprecatus illud sum, sed urget nihilominus Ill.mus card. Alexandrinus⁶⁷⁹. Mihi vero quid aliud quam iussa capessere fas est. Melior est obedientia quam victima⁶⁸⁰.

A. 12.

Pius V, pontifex maximus Sigismundo Augusto, regi Poloniae

Romae, 5 VII 1567.

Petit vehementer, ut e Poloniae regno eiciat Andream Dudith, epum Quinqueecclesiensem, qui a catholica religione defecit.

Min.: AV, Arm. 44, ms. 7 f. 242r-v, cum subscriptone in f. 243v: "Minuta brevis ad Regem Poloniae sub die V Iulii 1567. Pog[gia]ni".

sum dominum Kuczborski ad ingressum capituli et perceptionem omnium distributionum et iurium capitularium admittendum et restituendum putaverunt, ita ut praesenti decreto restituerunt, idque tamen ita, ut statutum in suo robore et integritate remaneret, et domini salvi esse possint in ipsorum conscientis, secuti recens rev.di domini doctoris Petri a Poznania canonici Cracoviensis etc. in casu non plane dissimili exemplum, sex mensium spacium, intra quod de litteris surrogationis suae in ius defuncti simulque et singrapham, contra omnes et singulos intrusos et sua communiter vel divisim interesse putantes obtentam, exhibere et in forma probante producere teneatur, ei praefixerunt. Alioquin ubi id ipse dominus Kuczborski facere aliquomodo neglexerit, extunc ad restitutionem omnium et singulorum perceptorum mensae capitulari tenebitur, prout se ibidem protinus ad acta praesentia coram me notario publico et testibus infrascriptis manu stipulata inscripsit et obligavit. Porro de gratia eiusmodi dominorum d. Kuczborski contentus suis dominationibus rev.dis condignas egit gratiarum actiones. Praesentibus honorabili et discreto Ioanne Colo, vicario huius ecclesiae, et Sebastiano Chmieliowski studioso testibus. Et Valentino Brzostowski notario actorum praesentium". Huic obligationi V. Kuczborski satisfecit obtinendo litteras pergamenas datas Romae 24 I 1569, ut notatur in iisdem Actis Capitularibus f. 134 sub die 18 II 1569.

⁶⁷⁶ Anno insequente impressus est liber, qui "Katechizm albo nauka wiary i pobożności krześcijańskiej" [Catechismus seu doctrina fidei et pietatis christiana], inscribitur Kraków, Mikołaj Scharfenberger, 1568.

⁶⁷⁷ Iacobus Savelli († 1587), card. ab a. 1539, ab a. 1560 viceprotector regni Poloniae.

⁶⁷⁸ De legatione apostolica scribit.

⁶⁷⁹ Michael Bonelli.

⁶⁸⁰ I Reg. 22.

Sigismundo Augusto Poloniae Regi.

Carissime etc. Nefaria flagitii indignitate Duditii, Quinqueecclesiensis epi⁶⁸¹, qui evanescens in cogitationibus suis traditus est in desideria cordis⁶⁸², in immunditiam, eo magis commoti sumus, quod veremur, ne multi, praesertim in isto Regno, et nefandae eius coniunctionis exemplo et falsae contagione doctrinae in turpitudinis voraginem demergantur. Cuius seditiosum ingenium ac rerum novarum cupidum, cum nihil in eius vita elucere audiremus, quo ad veram Religionem ac virtutem homines incenderentur, ne in perditum aliquod facinus erumperent, semper timuimus. Itaque cum se ipsum aperto modo dediderit passionibus ignominiae, qua faeditate, qualis item antea esset apparuit, Maiestatem Tuam oramus et obsecramus, ut per viscera misericordiae Christi Domini eam pestem e Poloniae finibus eiiciendam curet.

Moveat te Dei Omnipotentis gloria, quam una cum Sacrosanctae huius Sedis auctoritate et episcopalis officii dignitate immani illo nuptiarum scelere violavit. Cave existimes temerariam illam turbulentamque naturam, que tam impie et agendo et loquendo a Deo defecerit, ullam Regum aut Principum rationem habituram esse. Cogita, quantum isti provinciae periculum immineat, in quam libera consuetudo haereticorum ea [242v] adhuc mala importavit, quae et Maiestas Tua dolenter intelligit, neque nos possu[mus] sine summa animi nostri molestia meminisse. Quod si tantum caeteri haereticae pravitate magistri nocuerunt, quid censet istum esse facturum, qui facillimam escam ad capiendos homines obscenitatum, in quibus ipse volutatur, intemperantiam impudenti lingua tanquam flabello ventilabit. Quare nihil se dignius, nihil nobis gratius facere potest, quam proiectum istum sathanae ministrum a suorum populorum pernicie remove. Quo facto catholicae suae fidei, quam habemus magnam opinionem, adeo confirmabit Maiestas Tua, ut Deo adiuvante pios conatus, reliqua etiam, quae in Regnum istud monstra invaserunt, magna cum tui nominis gloria e medio sublata iri confidimus. Ut vero Poloniae veterem aliquando verae pietatis laudem recuperare possit, et divina ope, quam orationibus nostris implorare non desinemus, et humanis etiam viribus, quantum ipso Deo adiutore poterimus, adnitemur. Datum Romae, apud S. Petrum etc., die V Iulii 1567, Anno secundo⁶⁸³.

⁶⁸¹ Vide N. 65, 75-77.

⁶⁸² Cfr. Rom. 1, 24.

⁶⁸³ Huius brevis scribendi Martinus Cromerus auctor esse putabatur: "Il vescovo Cromero scrive di Pollonia qua et cerca col mezo dell'agente del Re [id est Georgii Ticinii], che'l Papa scriva al Re di Pollonia che non lasci stare nel suo Regno il Vescovo delle Cinque Chiese. Et si dice che Sua Santità scriverà" (Prosper comes d'Arco, nuntius imperatoris, Romae 5 VII 1567- autogr. Wien, HHStA, Röm. Korrespondenz 32, fasc. 2 f. 1v). Ibidem in f. 3r invenitur adnotatio: "Ex litteris D.ni Martini Cromeri, Cracoviae 7 Iunii scriptis: Quinqueecclesiensem, qui norunt Tridenti et alibi non mirantur factum, Caesar iniquo fert animo, sicut audio. Curandum est, ne ei sit locus privato in Polonia; vereor, ne multos depravaret. Hic non est id curae, quibus esse deberet".

A. 13.

Card. Ioannes Franciscus Commendone
card. Michaeli Bonelli

[Romae, post 9 VII 1567]

Respondet ad ea, quae petit ab ipso summus pontifex de vita et moribus promovendorum ad episcopatus Luceoriensem et Mednicensem, ipsosque commendat confirmandos.

Min.: olim in Città di Castello, AMG, ms. 51 f. 82r-83v (hodie non invenitur). Min. cum multis correcturis ad stilum solum pertinentibus, in Ioannis F. Commendone cancellaria alia manu factis, quae cum difficiles sint lectu, tertia manu saeculo XVIII (Hieronymi Lagomarsini SJ?) partim in margine sunt transcriptae. Eadem manu additum in f. 83v: "1567 pontificato di Pio V, dal 1566 al 1572. Lettera del Commendone al card. Alessandrino dopo che già era stato in Polonia la prima volta, che fu nel 1565". Initium epistolae in fine minutae adscriptum legitur.

Ho ricevuto la lettera di V.ra Signoria Ill.ma con la nota di due nominati del Ser.mo Re di Polonia⁶⁸⁴, delli costumi de quali N.ro Signor mi comanda ch'io scriva quello che sento et dica insieme il parer mio circa l'espeditiioni di queste Chiese. Il che io ho fatto con l'alligata scrittura, rimettendomi humilmente al sapere et iudicio di Sua Beatitudine et basciando le mani della Signoria V.ra Ill.ma.

Delli due nominati del Ser.mo Re di Polonia, l'uno per la Chiesa Luceoriense, l'altro per la Mednicense, il primo Victorinus Wyerzbyzchi, Vescovo Mednicense, fu promosso a quella Chiesa mentre io ero in Polonia⁶⁸⁵, et questa fu la prima Chiesa che vacava in quel Regno dopo la confirmatione del Concilio di Trento. Io feci ogni opera accioché l'eletto facesse la profession de la fede, secondo la forma, et la fece, talché nel processo ch'io formai allhora il nominato non pativa altro difetto che di non esser graduato, come richiede il Concilio. Nondimeno, perché essendo lui tenuto de più dotti di Littuania, dove non è costume di pigliar grado di dottore, né in leggi né in theologia, et dove è sì grande il numero de gl'heretici, che si prova gran fatica per trovare persone catholiche, nonché habbian tutte le qualità ri-

⁶⁸⁴ Vide supra A. 7. et A. 8. Epistula haec card. Michaelis Bonelli ad Ioannem F. Commendone data est Romae 9 VII 1567: "Essendo venute nuovamente due nominationi di Polonia, N.ro Signore desiderarebbe intender dallei le qualità delle persone nominate et descritte in questo incluso foglio, potendolo facilmente sapere, et l'opinion sua ancora sopra queste speditiioni" (or. AV, Lett.Principi 25 f. 168r).

⁶⁸⁵ A. 1565.

chieste ad esser Vescovo, fu confermato. Come egli si sia portato dipoi nel governo di quella Chiesa, non lo so, perché mentre io stetti in quel Regno, non vennero le bolle de la confirmatione, et fin a tanto che non venissero io con ogni diligentia procurai ch'egli s'astenesse dall'administratione. Et lui sene astenne^{a)}. So bene che questa provincia di Samogitia, dove è la Chiesa Mednicense, havrà gran bisogno di un buon Vescovo, perché non essendo più di circa 150 anni che quel paese ricevè il battesimo⁶⁸⁶, vi si trovano ancora alcuni che adorano il sole, gl'arbori, serpi et fuoco et simil cose, parte per ostinatione di quelle genti barbare, et parte per negligenza de Vescovi. Né minor bisogno ha la provincia di Volhinia, dov'è l'altra Chiesa, Luceo-riense, alla quale lui hora dimanda d'esser transferito, perché deve esser anchora assai tenuta di molti heretici et molti del Rito Greco et alcuni Armeni. Et quando io la visitai, vi dieddi ordine a molte cose, le quali non so come poi siano state osservate, perché il Vescovo d'allora⁶⁸⁷ era molto poco atto per Vescovo.

Il secondo nominato, Georgius Petcovius, è stato da me conosciuto in Corte del Re, ma non però in modo ch'io ne possa dar testimonio. Onde io non ho voluto scriverne a V.ra Signoria Ill.ma anchora che ne sia stato pregato con più lettere; et fra l'altre d'un Canonico della medesima Chiesa Mednicense, il quale è Spagnolo et già gran numero d'anni habita in quel Regno et tenuto per molto catholicico⁶⁸⁸ et V.ra Signoria Ill.ma vederà quel ch'egli mi scrive per la sua lettera, che le mando con questa⁶⁸⁹. Io veramente se son venuti costì i processi et le scritture necessarie, le quali mons. Nuntio havrà, com'io credo, fatte far diligentemente⁶⁹⁰, et che non vi sia altro manchamento che di non esser costoro dottori in theologia o in iure canonico, crederei che si dovessero confirmare. Ma quanto alla dimanda del dottor Georgio di poter ritenere due beneficii, non sapendo che beneficii siano questi, né che ragioni egli allegghi per ritenerli, non posso risponder altro, salvo che far fede alla Signoria V.ra Ill.ma che una delle principali considerazioni ch'io hebbi in Polonia circa la pluralità de beneficii, fu che per questa via di levar la pluralità, molti beneficii non capitassero in mano d'heretici⁶⁹¹.

⁶⁸⁶ Dioecesis Mednicensis erecta est a. 1417.

⁶⁸⁷ Stanislaus Narkuski, a. 1563 ad episcopatum Samogitiensem designatus, a. 1564 a papa confirmatus, cum in Samogitiam iter ingrederetur, ante 13 II a. 1565 mortuus est.

⁶⁸⁸ Petrus Roysius (Ruys de Moros), qui ab a. 1542 erat in Polonia.

⁶⁸⁹ Non invenitur.

⁶⁹⁰ Vide N. 67.

⁶⁹¹ Hoc praesertim argumento utebatur illis temporibus etiam clerus Poloniae, petens liberationem a decreto Tridentino super pluralitate beneficiorum (vide Wierzbowski JU, p. 258-261).

A. 14.

**Interrogationes
porrectae a Iulio Ruggieri
testibus in processu informativo
de vita et moribus Stanislai Karnkowski
in episcopum Vladislaviensem promovendi**

[Petricoviae, paulo ante 21 VII 1567]⁶⁹².

Interrogatus sub iureiurando respondere debet: utrum sciat de ecclesia cathedrali Vladislaviensi et eius ordinatione, de dignitate senatoria episcopis Vladislaviensibus competente, de electione episcopi, vacatione occurrente, a capitulo ex voluntate papae et regis facta, de Nicolai Wolski immediati episcopi ordinarii obitu; an noscat vitam, conversationem et mores electi et a quo tempore testi notus sit; an sciat de munere eius sacerdotali et quo modo officia sacerdotis et pastoris expleverit; an testis putet electum apta conversatione et indole conspicuum et iuribus et dogmatibus ecclesiasticis satis exercitatum esse; an electus principia fidei comprobet et defendat et quomodo testis vitam electi noverit.

Cop.: Kraków, AKKK, Libri Archivi, ms. 6 p. 6-10.

Principio quaeratur a singulis testibus medio eorum et cuiuslibet ipsorum iuramento corporali:

Num sciat, quod in Regno Poloniae et provincia Gnesnensi a sexingentis citra vel ultra annis, alias ab eo tempore, quo Regnum Poloniae dedit nomen Christo, seu fidem christianam coepit profiteri, fuit et est esseque consuevit inter ceteras Ecclesias Cathedrales quaedam Ecclesia Cathedralis communiter appellata Ecclesia Cathedralis Vladislaviensis⁶⁹³, habens (salva vacatione temporibus suis) pro tempore Episcopum ut caput, Praepositum, Archidiaconum etc. et Canonicos praebendatos, Capitulum repraesentantes ut membra, longamque et latam Dioecesim aliaque insignia Cathedralem Ecclesiam denotantia.

Item num sciat, quod ab eisdem temporibus et per dicta tempora fuit semper de more et observata consuetudine in eadem provincia et Regno Poloniae diutissime tenta, quod Episcopi Vladislavienses pro tempore existentes fuerunt semper de consilio et ordine senatorio Regni Poloniae,

⁶⁹² Cfr. supra, N. 72.

⁶⁹³ De hac dioecesi non est mentio ante initium saeculi XII.

habentes locum et vocem in senatu, a capite in ordine quartum, hoc est post Gnesnensem et Leopoliensem aepos et epum Cracoviensem primum.

Item num sciat, quod ab eisdem temporibus et per dicta tempora, de more, usu et consuetudine praedictis, occurrente vacatione dicti episcopatus Wladislaviensis electio Episcopi semper spectabat et pertinebat ad Capitulum Ecclesiae Wladislaviensis etc., accedente ad id assensu Regiae Maiestatis Poloniae; ea nominatio illius ecclesiae concessa sit Maiestati Regiae a Summo Pontifice sive Sancta Sede Apostolica, quod ea dignitas sit una de senatorio ordine Regni primario.

Item num sciat, quod quondam Rev.mus olim Nicolaus Volski, ultimus et immediatus ipsius Ecclesiae possessor, anno praesenti, videlicet 1567 die 3 mensis Martii diem clausit extremum⁶⁹⁴.

Item num sciat, quod idem Capitulum dictae Ecclesiae Wladislaviensis, cupiens eidem suae Ecclesiae pastore, sic ut praemittitur orbatae, provisum iri, supplicationibus et precibus a clero et populo ad Deum per Civitatem et Dioecesim publice et privatim cum ieiuniis et orationibus pro impetrando bono et vigilantia pastore [7] diligenter fuis, ac omnibus et singulis, qui ad promotionem seu electionem novi pastoris quodcumque ius et quacumque ratione a Sede Apostolica vel alias a iure se habere praetenderent, per edictum publicum pro certa die et termino competenti ad hoc statuto, vocatis, et alias servatis de iure servandis, accedente tamen ad hoc expresso consensu Maiestatis Regiae Poloniae, ad quam, concessione Sedis Apostolicae, pertinet nominatio, eo quod ipsa dignitas sit, ut praemissum est, de senatorio ordine primario, Rev.mum d.num Stanislaum Carnkowski, iuris utriusque Doctorem, archipresbyterum, ex legitimo matrimonio eodemque nobili progenitum, aetatis legitimae, nempe annorum 40 et aliquot⁶⁹⁵, vita et moribus conspicuum, et in litteris bene versatum; alias habens perspectam illius idoneitatem et vitae integritatem ac laudabilem conversationem, testimonio piorum proborumque virorum comprobata, in pastorem illius Ecclesiae, quatinus id Sanctae Sedis Apostolicae placitum fuerit, et sub illius in omnibus approbatione et non alias, aliter, nec alio modo, cessante quovis humano favore aut simoniaca pravitate, elegit et promovendum statuit, prout in Dei nomine eligit et promovet.

Item num vitam et conversationem ipsius D.ni Stanislai electi ab ineunte aetate noverint, et in quibus studiis versatus fuerit, et quomodo in aula Regia agens Referendarium et maiorem Secretarium Regni sese conservaverit, et cum quibus etiam nunc, an cum catholicis, piis et religiosis viris conversetur. Dicat quilibet testis, an pauperum et pupillorum ac oppressorum defensor fuerit et Ecclesias ac Monasteria eorum iuraque ac libertates semper potenter tutatus sit.

⁶⁹⁴ Cfr. N. 49.

⁶⁹⁵ Stanislaus Karnkowski tunc erat quadraginta septem annos natus.

Item a quo tempore dictus Electus testi sit notus, quomodo et ubi contraxerit eius notitiam.

Item an illum sacerdotem esse sciat et a quo tempore.

Item an sacra soleat saepius et devote celebrare.

Item an Horas Canonicas soleat quotidie orare vel illas intermittere.

Item an sit tenax et avarus, vel liberalis et misericors.

Item an habeat in familia sua aliquem sectarium.

Item an haereticorum familiaritate delectetur.

Item an aliquem sine peccato plura beneficia incompatibilia, sine Sedis Apostolicae dispensatione, obtinere et residentiam omittere posse existimet.

Item an agens ipse D.nus promovendus nunc et antea circa Ecclesiam suam Parochialem in Piotrcow, munus boni pastoris diligenter obibat et ex sese bonum exemplum suis parochianis et subditis praebendo, haereticos ab ovili suo gnavigatorum propulsando, scandala, vitia et excessus subditorum sedulo corrigendo etc.

Item num propter animadversionem huiusmodi in haereticos et scandalosos odium et invidiam malevolorum multorum sibi conciliaverit vel gratiam.

Item num speret vel credat eum futurum esse bonum, pium et pauperes amantem Episcopum ac muneris sui episcopalis non segnem custodem.

Item num sciat aut credat testis eum esse natura prudentem, docilem, moribus temperatum, vita castum, sobrium et suis negotiis semper caventem, humilem, affabilem, [8] misericordem et in lege Domini instructum ac in Scripturarum sensibus cautum, necnon in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum.

Et ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum esse confirmans totamque Trinitatis unitatem, deitatem coessentialem et consubstantialem et coaeternam et coomnipotentem praedicans; si etiam singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, et totas tres personas unum Deum, si etiam incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, Deus verus ex Patre esset, et verus homo ex matre, carnem ex matris visceribus habens et animam humanam, rationalem, simulque in eo utriusque naturae, id est Deus et homo una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus, Creator omnium quae sunt, Auctor et Rector et Deus cum Patre et Spiritu Sancto omnium creaturarum; qui passus est pro salute nostra carnis passione et mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suae receptione et vera animi resumptione, in qua veniet iudicare vivos et mortuos,

Quaeratur etiam a testibus, si sciunt, quod idem Electus credat Veteris et Novi Testamenti, id est legis et prophetarum ac apostolorum unum eundemque esse Auctorem, ac demum vivos et mortuos iudicaturum.

Item quaerendum est etiam ab eisdem testibus, num sciant, quod credat idem promovendus seu Electus huiusmodi, quam gestamus carnis et non alterius, resurrectionem; si etiam credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his, quae in carne hac gesserint, vel poenas vel praemia; si etiam nuptias non prohibeat, si secunda matrimonia non damnet; si carnum perceptionem non culpet; si poenitentibus reconciliatis communicet; si in baptisate omnia peccata, id est tam originale quam illa, quae voluntarie admissa sunt, dimitti credat.

Item quid sentiat D.nus promovendus de Ecclesia et de eius auctoritate et ubi sit; et an credat esse visibilem et invisibilem.

Item num credat hanc solam veram esse Ecclesiam Catholicam, in qua est unanimes et communis professio doctrinae evangelicae et apostolicae secundum intellectum et expositionem sanctorum Patrum et diudicationem et determinationem generalem Conciliorum ab Ecclesia receptorum, et in qua est administratio Sacramentorum secundum catholicam traditionem, in Ecclesia occidentali hactenus pie et laudabiliter observata; quae et non in angulo aliquo orbis terrarum conclusa, sed in unitate doctrinae et Sacramentorum communionem in vinculo pacis diffusa est et propagata per totum terrarum orbem.

Item num credat in hac Ecclesia Catholica nos omnesque alios esse, qui in hac concordia, communionem et pace sub oboedientia unius Summi Pontificis [9] et Sanctae Sedis Apostolicae vivimus, vel an putet e diverso, Ecclesiam esse Lutheranos vel Buceranos vel Calvinianos et his similes sectarios, qui Ecclesiam, quam nos ut Catholicam et Apostolicam agnoscimus, execrantur atque adeo non Christi, sed Antichristi Regnum vocare non verentur.

Item num sentiat etiam iustificationem hominis constare ea sola fide, qua quis credit sibi non imputari peccata propter Christum, an potius nobiscum credat iustificationem esse communicationem iustitiae Christi, non solam eius imputationem, sed actualem regenerationem et renovationem mentis per Spiritum caritatis, quo demum per fidem accepto, ex iniustus iustus efficitur et quae iusta et sancta sunt operamur, peccatis Christi merito condonatis.

Item num credat esse septem Sacramenta, videlicet Baptismi sacramentum, Confirmationis sacramentum, Eucharistiae sacramentum, Poenitentiae sacramentum, Ordinis sacramentum, Matrimonii sacramentum et sacramentum Extremae Unctionis infirmorum; et quod haec Sacramenta conferant gratiam non ponenti obicem; vel an e diverso credat, tantum duo esse sacramenta: Baptisum et Eucharistiam.

Item num credat in Eucharistiae sacramento sub qualibet specie esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, substantia panis et substantia vini, aqua mixti, in corpus et sanguinem Christi virtute verborum consecrationis transsubstantiatis.

Item an credat veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia esse permanentem et non in solo usu, sicut Baptismi sacramentum, consistere; et propterea posse nos et debere hoc Sacramentum pro infirmis reservare et in eo Christum illic praesentialiter se exhibentem adorare.

Item an etiam credat laicis sufficere ad salutem Communionem sub una tantum specie, ut sub qua revera continetur totus Christus.

Item an credat missam esse Sacrificium novae legis, in qua non solum conficiatur, sed et Deo Patri repraesentative offeratur, non cruento quidem, sed incruento et commemorativo sacrificio, corpus et sanguis, tam pro vivis quam pro defunctis.

Item an credat S. Petrum fuisse principem Apostolorum et Christi Vicarium et Romanae et Catholicae Ecclesiae Summum Pontificem, et tales quoque, qui ei canonice in Cathedra sua successerunt et succedunt, quamvis sint longe inferiores merito.

Item an credat a tali Pontificis oboedientia sine schismate non posse discedi, cuius edictis parere atque illius Legatos et Nuntios revereri an christifideles debeant.

Item an credat usum imaginum, tam crucifixi Domini quam Sanctorum, non modo licitum, sed et valde utilem esse in Ecclesia, maxime in usum idiotarum, pro admonitione et rememoratione gestorum Christi et Sanctorum suorum et pro exercitatione pietatis et imitatione ac veneratione illorum.

Item an credat Sanctorum, qui apud Deum vivunt, veras reliquias reverenter esse habendas et venerandas.

[10] Item an credat statuta ieiunia et ferias indictas ab Ecclesia religiose esse observanda, nec posse ea violari sine peccato, nisi suadeat et poscat necessitas per pastorem seu ordinarium curatorem ante comprobata.

Item an credat votum perpetuae castitatis et reliqua vota monastica, paupertatis et oboedientiae, consentanea esse iuri Divino et Evangelio Christi, ita quod obligent praestantem in foro conscientiae ad sui observationem sub poena damnationis aeternae, et de illorum violatoribus scriptum esse: damnationem habentes, quia priorem fidem irritam fecerunt⁶⁹⁶.

Item an credat in omni Ecclesia, tam Graeca quam Latina, a temporibus Apostolorum sacris semper canonibus prohibitum fuisse his, qui iam ad presbyterii ordinem promoti fuissent, matrimonium contrahere, et qui secus fecissent, ab omni ministerio et sacerdotio depositos semper fuisse.

⁶⁹⁶ 1 Tim. 5, 12.

Item an credat illos esse sacrilegos et pauperum Christi necatores, qui accipiunt, occupant et tenent et sibi vendicant bona Ecclesiarum Deo dicata, seu in testamentis ad pias causas pauperibus Christi relicta; esseque tales occupatores aeternae damnationis reos, nisi faciant restitutionem.

Item de indulgentiis et veneratione Sanctorum quid sentiat.

Item an decreta Concilii Tridentini in aliquo contemnat vel illa omnino observanda censeat.

Item quid sentiat de purgatorio, num sit aliquis locus purgandarum animarum post mortem et an altaris sacrificio, orationibus et eleemosynis fidelium iuvari possint, praesertim eorum, qui fideles decesserunt et ante obitum nondum satis expiarunt maculas scelerum suorum per poenitentiam.

Quaerantur singuli testes circa singulos articulos dicti sui et an noverint vitam et conversationem promovendi, et quomodo eum noverint: usu vel consuetudine aut convictu etc. vel familiaritate aut familiaribus colloquiis.

A. 15.

Franciscus Sunyer SJ, viceprovincialis Poloniae
Francisco Borgia SJ, praeposito generali

Heilsbergae, 16 VIII 1567.

Petit secreta, nomine card. Stanislai Hosii, ut intercedat apud summum pontificem, ne is debeat praesidere in synodo provinciali, in qua forte tractabitur de concordia inter catholicos et haereticos nec non de divortio regio. Si pontifex has causas non putet sufficere ad synodum differendam, cardinalem rogare, ut saltem accurate instruatur, quomodo his in rebus se gerere debeat. Durante synodo opera Melchioris Biglia, nuntii apud caesarem, uti eum malle, [185v] "perché etiam il trattar con questo nuncio di adesso, cioè il Protototario Rugiero, gli par molto difficile per haverlo in molte cose trovato huomo di sua testa et nel qual finalmente (ultra de la pochissima stima che sempre di lui se è fatta in questo Regno) si desidera in agibilibus maggior prudentia, più volentiero Mons. Cardinale usarebbe della opera di quel nuncio che sta appresso dil [sic] Imperatore per quel poco di tempo che la synodo durarà V.ra Rev.da Paternità per amor del Signore procuri con tutta la prestezza possibile de liberar al' Ill.mo Cardinale di questo travaglio di mente, che al presente lo molesta non poco.

Autogr.: Roma, ARSI, Germania 148 f. 185r-v. In f. 186v inscriptio et vestigia sigilli.

A. 16.

Iacobus Uchański
card. Stanislao Hosio

Lovicci, 4 IX 1567.

Petit, ut facultates suas legati a latere sibi perscribat. Notum facit pontificem, propter accusationes nuntii apostolici, infensum sibi esse, maxime ob constitutionem de annatis Romam non mittendis. Petit, ut innocentiae suae testimonium perhibeat.

Or.: Kraków, BCz 1609 IV p. 475-477. In p. 478 inscriptio et vestigia sigilli. Ibidem inveniuntur duo duplicata originalia eiusdem tenoris: in ms. 1609 IV p. 479-481 (in p. 482 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio: "redditae 11 Octobris, responsum 13 Octobris"), die 7 IX datum; alterum in ms. 1608 IV p. 319-321 (in p. 322 inscriptio, vestigia sigilli et annotatio ipsius Iacobi Uchański manu scripta: "Alteras has prioribus pares iterum mitto, ne forte incuria aliorum non perferantur seu non transmittantur"), die 9 IX datum.

Ed.: Wierzbowski U III, p. 201-204.

Ill.me et Rev.me in Christo Pater et Domine ac Patrone summa cum observantia colendissime.

Post obsequiorum meorum in gratiam Ill.mae et Rev.mae Dominationis V.rae commendationem. Immortales ago habeoque gratias Ill.mae ac Rev.mae Dominationi V. rae, quod ad meas litteras humanissime mihi respondere dignata sit suis, quae nudius quartus mihi sunt redditae per D.num Solikowski⁶⁹⁷, ab Aula Regia transmissae. Caeterum, illud molestius accidit, quod neque in eisdem ullam eius rei mentionem Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra fecerit, quod renunciata fuerit Legatus a latere, quem admodum nobis aliunde scribitur. Quo nomine Ill.mae ac Rev.mae Dominationi V.rae gratulamur et nobis ipsis gaudemus, qui Ill.mam et Rev.mam Dominationem V.ram suscipimus et reverenter observamus. Ego quoque maiorem in modum peto, ut Ill.ma Dominatio V.ra suas facultates, a Ss.mo Domino Nostro sibi concessas, mihi perscribere atque significare

⁶⁹⁷ Ioannes Demetrius Solikowski (1539-1603) in familia "protestantium" adolescebat, fide catholica accepta in aula Iacobi Uchański commoratus est, a. 1564 sacerdos ordinatus, secretarius regius est nominatus, ab a. 1583 archiepiscopus Leopoliensis.

dignetur. Nolo clam esse Ill.mam ac Rev.mam Dominationem V.ram, quod cum Rev.dum D.num Sedis Apostolicae Nuntium submonerem, ut apud Sanctissimum Suas partes interponeret, quo Sua Sanctitas Rev.mos D.nos Episcopos ad celebrationem Synodi adhuc efficacius hortari dignaretur, respondisse eum mihi cum indignitate Ss.mi Domini Nostri id fore, ideoque facere recusasse. Ego vero quorsum id tendat et quid deinceps facere debeam, plane non intelligo. Praeterea cum in Conventione proxime praeterita Petricoviae a Rev.mo D.no Nuntio cum aliis Rev.mis D.nis Episcopis fuissem interrogatus, quaenam viae potissimum ac rationes ineundae nobis viderentur ad recuperandas ecclesias ab haereticis occupatas et reducendos earum ministros, suggesseram ego consilium eiusmodi, quod etiam Rev.dis D.nis Episcopis magnopere placebat, ut nimirum ipse Rev.mus D.nus Nuntius per se et nomine Ss.mi Domini Nostri cum Sacra Regia Maiestate ageret, quo Sua Serenitas dignaretur iustitiam nobis administrare, dum citarem ad instantiam Dei Omnipotentis et Instigationem Ordinariorum atque parochorum [476] cum ea causa districtum habere non possit, quemadmodum apud nos in nostro vernaculo dicitur, hoc est, nulla praetendi possit evocatio extra districtum, si recta praeteritis iudiciis terrarum et districtuum, ad praesentiam Regiae Maiestatis, prophanatores Ecclesiarum et earundem bonorum occupatores citarentur, sicque in eam spem, iam ego quendam Phalieccki, insignem Nobilem, qui violenter Ecclesiam in villa Gora⁶⁹⁸ Archiepiscopali violaverat, et proventus ademerat, ad instigationem meam et Parrochi cittari procuraveram. Verum hac in parte nullum conatum, nedum profectum aliquem, ex Rev.do D.no Nuntio cognovimus. Ne quid vero Ill.mam et Rev.mam Dominationem V.ram celare videar, quod ad me pertineat, infelicitatem meam apud Sedem Apostolicam V.rae Ill.mae et Rev.mae Dominationi exponere visum est. Sua Serenitas ad omnia, quae petieram adiutus et commendatus, tam Ill.mae Dominationis V.rae quam Rev. di D.ni Nuntii litteris, negative mihi respondit, et nihil consequi potui, nedum eorum, quae gratiae fuerant, verum neque illorum, quae iustitiae. Et nunc non mihi modo verum etiam amicis nostri Ordinis Roma scribitur mihi Ss.mum Dominum Nostrum infensorem factum; causam non perscribunt, ob quam id fieret, sed tantum monent nonnullos, ne mea commendatione utantur, si velint bene consultum rebus suis apud Ss.mum Dominum. Ego vero, unde id mihi conflatum sit, non assequor, praesertim de Ill.mae Dominationis V.rae integritate, candore erga omnes et singulari benevolentia, atque clementia erga me optime persuasus, non puto quicquam ab Ill.ma Dominatione V.ra ad eam offensionem Ss.mi Domini Nostri animi erga me allatum esse. Sed fortasse Rev.mus D.nus Nuntius in me derivare voluit eam invidiam, quam apud Sanctissimum incurrere videbatur, quod non occurreret constitutioni de

⁶⁹⁸ Góra, villa in palatinatu Calissiensi prope oppidum Żnin sita.

annatis Romam non mittendis. Sed ego coram Deo affirmare possum me extra [477] omnem culpam esse, non modo quod non consentirem in eam pragmaticam, verum etiam quod quantum in me fuerat, impedirem, et Rev.mum D.num Nuntium, descriptis ex statutis prioribus de hac re Constitutionibus, admonerem fere quinque hebdomadas ante, ut mature invigilaret et Maiestatem Regiam praemoneret de ea re ne consentiret, quamvis tum nihil minus inter Nuntios terrarum agitari crederet mihi que diffideret, asserens nihil se ex aliis de hac re persensisse. Et cum haec lex promulgaretur in senatu aperte restiti et protestatus sum nomine meo atque universi cleri nequaquam nos consentire et instrumenta protestationis coram Notario publico et testibus fieri procuravi. Et apud Maiestatem Regiam nihil obmisi eorum, quae videbantur pertinere ad expungendam eam legem quamvis non successerit. Et Rev.mo D.no Electo⁶⁹⁹ Wladislaviensi autor fui, ut aurum solitum Romam mitteret pro Confirmatione sui, Rege annuente. Insuper qualem voluit et praescripsit Rev.mus D.nus Nuntius recognitionem in eam de consensu negato huic Constitutioni subscripsi et obsignavi. Quid vero ultra facerem neque nunc videre possum. Itaque magno opere peto ab Ill.ma et Rev.ma Dominatione V.ra dignetur primum pro sua sapientia de veritate ipsa hic in patria nostra investigare et postea Romae testimonium veritati et innocentiae meae perhibere, ut, si possibile sit, Ss.mus Dominus Noster eam inductionem animi erga me deponat et meliora de me sentiat, neque patiatur calumniis apud se deformari. Ego vero pro eo ac debeo, eam Ill.mae Dominationis V.rae gratiam promereri curabo. Haec ego ad Ill.mam et Rev.mam Dominationem V.ram confidentissime perscribo non dubitans, quin scripta mea dignabitur ita dispensare, ut nihil obsint, sed multo magis mihi prosint.

Cum his me et obsequia mea Ill.mae ac Rev.mae Dominationi V.rae diligenter etiam atque etiam commendo, quam optime sanam atque incolumem in quam plurimos annos multa vitae prosperitate frui desidero. Lovicii 4 Septembris Anno Domini 1567.

V.rae Ill.mae et Rev.mae

(^a-servitor obsequentissimus
Iacobus aepus Gnesnensis
manu propria^a)

^{a-a}) *Autographum.*

⁶⁹⁹ Stanislaus Karnkowski.

A. 17.

Pius V, pontifex maximus
Valeriano Protasewicz, episcopo Vilenſi

Romae, 6 IX 1567.

Laudat eius studium in defendenda et propugnanda catholica religione.

Min.: AV, Secr.Brev. 6 f. 214r, cum annotatione cancellariae in f. 215v: "Septembris 1567, anno secundo. Episcopo Vilenſi. Collaudatorium pro eius studio erga catholicam religionem et hortativum ut persistat etc".

Ven.li fratri Valeriano epo Vilenſi.

Ven.lis frater, salutationem. Gratum nobis sane fuit et iucundum id, quod ex dilecto filio Georgio Ticinio, camerario nostro et agente apud nos regio, audivimus, Fraternitatem scilicet tuam summo studio singularique pietate nostras et S.R.E. res et auctoritatem, prout catholicum decet antistitem, omni tempore in istis partibus iuisse catholicaeque religionis acerrimum defensorem ac propugnatorem extitisse, teque nostri et huius Sanctae Sedis observantissimum semper ostendisse. Itaque ea de re te, uti debemus, vehementer in Domino collaudamus, et ut in coepto et nunquam satis laudato proposito persistas catholicamque religionem, id est Dei Omnipotentis causam, pro virili tua istic, quemadmodum hactenus fecisti, etiam in posterum tuearis atque defendas, abs te studiose petimus. Nihil enim profecto laudabilius, nihil tuo officio congruentius, nihil certe Deo ipsi et nobis gratius vel acceptius facere potes. Pollicemur autem tibi nos tuae huius operae ac studii memoriam nunquam abiecturos. Tibi vero exploratum esse debet te tuae pietatis ac laboris Redemptorem nostrum amplum remuneratorem in coelesti patria habiturum. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc., VI Septembris 1567, anno secundo.

Caesar Glorier[ius]

A. 18.

Andreas Dudith
Francisco Krasieński

Ex Gorlice, 9 XII 1567.

Pro immutato amore post novum vitae institutum gratias agit. Vellet, ut Romani in aliis rebus industriam suam ostentarent neque communem quietem vexarent. Nuntio apostolico prudentissima consilia non displicuisse se non mirari. Qualis sit isthic de se opinio scire cupit. Fidem erga dominum clementissimum suam in dubium vocari se nolle.

Cop.: AV, Lett.Principi 24 f. 228r-229r, manu secretarii nuntii Iulii Ruggieri scripta, cum adnotatione in f. 229v: "Avisi di Polonia". Epistula haec non habet inscriptionem, sed extat inter litteras Francisci Krasieński, qui tunc erat orator Regis Poloniae apud Imperatorem, ex quo conici potest ad eum esse scriptam. Inter acta eius impressa, epistula haec non invenitur.

Rev.me Domine et Patrone Observantissime⁷⁰⁰. Salutem et offitiorum meorum commendationem etc.

Quoniam Dominationem V.ram Rev.mam feci semper, ut debui, plurimi, ob eximias eius virtutes ac plane singularem bonitatem et sinceritatem amavi eam omni tempore omnique observantia ac cultu prosequutus sum. Quo fit, ut vehementer mutuo diligere ab ea optaverim, quod quia me consequutum videbam, quae est bonitas et humanitas eius, dici non potest, quantam animi laeticiam percipiebam. Quo magis nunc post novum vitae meae institutum angebar animo et magnopere pertimescebam, ne mutatio condicionis meae prioris Dominationem V.ram Rev.mam mihi ab amore ad odium traduceret. Quod quoniam, Dei beneficio, ex humanissimis eius litteris non evenisse intelligo, plane incredibili voluptate perfundor. Itaque ne longior in hac parte sim, maiorem in modum a Dominatione V.ra Rev.ma peto, ut in omni fortuna ac vitae meae genere pristinam mihi benevolentiam et gratiam suam conservet, qua neque optatius quicquam neque iucundius accidere mihi unquam poterit, me eodem amore et studio, quo antea, inserviendi sibi inflammatum sentiet. Prudentis est, et res humanas suis momentis ac ponderibus examinantis, amicorum eventis non ita commoveri, ut statim si quid committant, quod nobis non probetur, animos ab eis abalienemus. Credendum est fatis ac divina providentia res geri, in rebus praesertim, quae totam hominis vitam attingunt. Quo aequio-

⁷⁰⁰ Franciscus Krasieński (1525-1577), annis 1565-1568 orator Polonus apud aulam imperatoris Maximiliani II, annis 1569-1574 vicecancellarius Regni, ab a. 1572 episcopus Cracoviensis.

res nos praeberere convenit iis, si qui a recto tramite aut prorsus aberrarunt, aut certe nobis aberrare videntur. Sed haec nolo subtilius disputare apud hominem prudentem, pium usque rerum edoctum, quam difficile sit in hac imbecillitate humanae naturae ita cursum tenere, ut plenis [228v] velis salva navi, cum omni acclamatione atque applausu, in portum perveharis.

Scribitur ad me variis ex locis, quam fulgurent, quam tonent, quam in me fulmina illa sua, nimium iam hebetata Romani exacuunt, quibus ego id consilii darem, ne capite omisso redivivum curarent. Habent ubi summam illam sapientiam, qua toti terrarum orbi formidabiles videri volunt, exercent. Satis magnum campum habent, in quo se suamque industriam ostentent. Quid me homuncionem, nulla doctrina, nulla auctoritate praeditum fodicant? quid territant? quid denique insaniunt? Quid feci? Uxorem duxisti, inquit; an eo facto Christum in crucem egi? Ex eorum me numero exemi, sponte in laicorum ordinem concessi, abieci omnem functionem Ecclesiasticam, quam mihi vetusti Ecclesiae canones poenam statuunt, eam mihi ipse irrogavi. Quid restat praeterea? Vitam privatam et solitariam sequor, nihil meditor, quod communem quietem perturbare queat, omnia mea consilia, omnes actiones ad summam moderationem et tranquillitatem refero. Nulli me sectae adiungo, nemini sum molestus. Quid me igitur divexant? Ferunt inter se aequissimo animo, et in fastigio etiam collocant fornicarios, adulteros et, quod horrendum est, sodomitas impurissimos atque alias omni pravaram voluptatum et scelerum genere cooptas pecudes, non iam dicam homines; me unius uxoris honestissimae atque pudicissimae maritum, in Dei timore, caste atque honeste viventem ferre non possunt?

O saeculum insipiens, et infacetum, libet enim ita cum poeta exclamare. Sed haec iam missa facio.

D.num Nuncium Apostolicum semper existimavi esse virum bonum et prudentem meique amantem⁷⁰¹, pro[229r]inde non miror ei prudentissima Dominationis V.rae Rev.mae consilia non displicuisse. Quae utinam Romae quoque locum habuissent. Sed laterem lavant. Nam ut res habet, facta iam revocari nequeunt. Qualia isthic hominum sint de me praeiudicia, prorsus ignoro. Nam ad me non perscribuntur ab amicis, nisi quae levare molestiam queant. Quod tamen mihi permolestum est. Cupio enim etiam ea intelligere, quae propter hoc factum hominum de me sit opinio, quid divinent fore. Id si duobus verbis Dominatio V.ra Rev.ma attigerit in suis ad me litteris, si quas post hac scribere non gravabitur, gratissimum fecerit; scio enim ipsam nihil esse vulgare perscripturam, sed quod ex principum virorum sermonibus manare solet. Fidem erga Dominum Meum

⁷⁰¹ Iulium Ruggieri optime de Andrea Dudith sensisse card. Stanislaus Hosius ad Martinum Cromerum his verbis scribebat Heilsberga 23 VI 1567: "Nuntius [...] longe secus affirmat de Quinqueecclesiensi. Mire catholicum esse dicit. De coniugio ne cogitasse quidem unquam" (autogr. BJ, I p. 238).

Clementissimum meam in dubium vocari nolim; quod Romanos, in citatione, quam nondum vidi, impuro et mendaci ore conatos esse audio. Testor nobilissimam hanc nationem pene totam, testor conscientiam Principis mei, Reginae, Regis et omnium eorum, quibus acta et dicta mea omnia constant, me nunquam a fidelis subditi et servitoris ac consiliarii, nunquam a viri boni et christiani ac publicae pacis et concordiae studiosi hominis officio vel latum unguem discessisse. Quod quia Dominationi V.rae Rev.mae quoque notissimum esse persuasum habeo, nihil addam amplius.

Iterum atque iterum oro, Dominatio V.ra Rev.ma benevolentiam mihi suam conservet ac si quando usus veniet, tum apud Caesaream Maiestatem, tum apud alios ostendat me a se amari. Quod reliquum est me meaque perpetua servitia in gratiam Dominationis V.rae Rev.mae officiose ac diligenter commendo. Datum ex Gorlicze⁷⁰² die 9 Decembris 1567.

Dominationis V.rae Rev.mae

Addictus Servitor
Andreas Dudith

A. 19.

Paulus Zajączkowski
card. Stanislao Hosio

Brzeziny, 17 I 1568.

Nuntiat aepum Gnesnensem questum esse, quod nuntius Sedi Apostolicae minus aequae se deferret. Petit, ut ipse accusationes eius removeat. Rogat, cur ad colloquia episcoporum Petricoviae habenda nuntius non sit vocatus.

Autogr.: Kraków, BCz 1608 IV, p. 358-360. In f. 362 inscriptio et sigillum.

Ill.me Princeps et Domine clementissime.

[...] Percensuit autem posthaec [d.nus archiepiscopus]⁷⁰³ verbis plurimis iniurias et molestias, quibus nullo suo merito a D.no Nuntio afficia-

⁷⁰² Gorlice, oppidum in Polonia meridionali versus orientem a Cracovia situm.

⁷⁰³ Iacobus Uchański.

tur, cum summa testificatione suo [sic] pro Catholicae Ecclesiae commodis, labore et diligentia [359]. Insuper addidit, quod nisi paulum ille de sua malignatione remittat seque Apostolicae Sedi minus aequae deferre non desistat, diligentiam omnem se, curam, laborem, quae in propaganda Ecclesia suscepit, imminuturum. Neque enim utrumque sine magna molestia persequi posse et simultatibus aliquod otium dare et inchoata sua in promovendis Ecclesiae bonis consilia terminare. Cum per Dei gratiam ex quo tempore isti se curare dederat, ut Ecclesiae Catholicae ministerium hominibus non minus vita quam eruditione dignis in dies augetur, eam cogitationem sibi non contemnenda initia dedisse. Iam enim et Lovicii redditus quosdam non exiguos Archiepiscopali mensae detractos in eum finem assignasse, ut professorum ex Collegio Societatis Iesu puerorumque certus in Seminario numerus aleretur, et apud Maiestatem Regiam precibus obtinuisse, ut bona Conventualia similes in usus convertere tuto liceret, ubi sumptus alicuius Ecclesiae Collegiatae tantum extendi non possint. Quam promissionem Maiestatem Regiam dextra porrecta sibi obsignasse fidemque suam Regiam obstrinxisse dicit, hoc solum addito, bonorum ex iusta parte ratio ut esset aliqua fundatorum voluntatis.

Petit igitur ab Ill.ma Celsitudine V.ra, ut causam hanc Ecclesiae salutarem conatusque fideles ipsius velit esse suis litteris Summo Pontifici commendatissimos, accusationemque minus iustam, qua per D.num nuntium isthic premitur, remove delereque non recuset⁷⁰⁴.

Hoc die, quo veneram ego ad Rev.mum, redditae sunt litterae D.ni nuntii Cancellario ipsius Zamoiski⁷⁰⁵, quibus id flagitabat, ut interesse possit vocatus maiorum⁷⁰⁶ suorum exemplo sermonibus D.norum Episcoporum Petricoviae habendis. [360] Cura haec est mihi demandata, quamprimum venirem Cracoviam, ut referrem D.no nuntio nihil facturum fuisse libentius Rev.mum D.num Archiepiscopum, quam ut Rev.mum D.num nuntium Petricoviam evocasset, etiam voluntate confratrum hac in parte non expectata, si maturius litterae ipsius Cancellario redditae fuissent. Quamquam enim Rev.mi D.ni Cuiaviensis consecrandi causa eo sunt conventuri⁷⁰⁷, tamen et ordinationem istam illius praesentia condecoratam esse li-

⁷⁰⁴ In hoc negotio ipse aepus Stanislaeo Hosio scripsit Lovicii 19 I 1568: "Mitto etiam Ill.mae et Rev. mae Dominationi V.rae litterarum exempla tam Summi Pontificis Pii Quarti in Domino defuncti et modernum Ss.mi Domini Nostri ac Regiae Maiestatis, quam mearum ad Rev.mum D.num Nuncium Apostolicum in negotio Seminarii Gneznae instituendi simul datarum, ipsiusque D.ni Nuncii Commissionis cum inhibitione Commissariorum, ut expendat et imprimis videat Ill.ma et Rev.ma Dominatio V.ra, quo modo se gerat Rev.mus D.nus Nuncius Apostolicus in ea re, quae primum quidem Decreto Sacrosancti Concilii tam accurate multis verbis laudata et sancita est, Rev.ma Dominatione V.ra praesidente, deinde et per Ss.num dominum [Nostrum] mihi diligenter commendata vel potius demandata et per litteras ac per ipsum D.num Nuncium" (or. Kraków, BCz 1609 IV p. 713).

⁷⁰⁵ Iosephus Zamoyski.

⁷⁰⁶ Id est praedecessorum.

⁷⁰⁷ De hoc conventu ipse Stanislaus Karnowski confirmatus epus Cuiaviensis Stanislaum Hosium fecerat certiore litteris Wolborii 29 XII 1567 datis: "Itaque in eo actu Consecrationis meae, cui diem dante Domino Petricoviae XXV Mensis Ianuarii proxime venturi constitui, cum Rev.mis D.nis

benter videret, et si quae de rebus Ecclesiae loquendi se praebuisset occasio, cum alio potius nemine quam cum illo de rebus his collocuturum fuisset. [...] Brzezini XVII Ianuarii anni 1568.

Ill.mae et Rev.mae Celsitudinis V.rae

perpetuus et obsequentissimus
servitor Paulus Zaiączkowski

A. 20.

**Sigismundus Augustus, rex Poloniae
Pio V pontifici maximo**

Cnissini, 8 II 1568.

Scribit se postulatis eius de Quinqueecclesiensi et Kioviensi episcopis ob conservandam Reipublicae tranquillitatem hoc tempore satisfacere non posse.

Or.: AV, Lett.Principi 31 f. 368v-369r. In f. 368r inscriptio et sigillum.

Beatissime Pater et domine clementissime. Post oscula pedum beatorum meique ac Regni et Dominiorum meorum commendationem.

Etiam atque etiam cogitanti mihi pro mea erga hanc Sanctam Sedem, iam inde a divi maioribus meis per manus mihi tradita observantia, equonam modo postulatis Sanctitati V.rae de Quinqueecclesiensi⁷⁰⁸ et Kioviensi⁷⁰⁹ satisfieri per me posse videretur, factum est, ut hactenus ad litteras Sanctitatis V.rae respondere non potuerim, praesertim in his occu-

Archiepiscopo Gnesnensi et Episcopo Cracoviensi [Philippo Padniewski], qui eo venturi sunt, dabo omnem operam, ut constituta et stabilita amicitia coniunctis animis in ea intendamus, quae optimum statum et regimen Ecclesiae Catholicae concernere videbuntur. De quibus omnibus reddam Ill.mam Paternitatem V.ram certiore. Caput hoc est: De modo, quo possimus Maiestatem Regiam pro parte nostra catholica retinere et de eo certi esse, ne si quid agere inceperimus, frustra vel infructuose incepisse videamur. Nec minor est illa cura, quod quidam sensu suo privato, inconsultis aliis Episcopis, in rebus Ecclesiasticis multa agunt infructuose, ne dicam ridicule, nec alius a sententia dimoveri potest, ut a processu desinat ad instanciam Omnipotentis Dei instituto, etiam monitus scriptis Ill.mae Paternitatis V.rae. Sunt et alia quaedam, quae videntur impedire utilem celebrationem eiusdem Synodi" (or. Olsztyn, ADWO, D 26 f. 67r).

⁷⁰⁸ Andreas Dudith.

⁷⁰⁹ Nicolaus Pac.

pationibus meis castrensibus⁷¹⁰, ex quibus nunc demum videor aliquantum respirasse. Nunc quidem, cum omnia propemodum in consilium adhibuimus, multa etiam ex iis tentavimus, quae ad morem gerendum Sanctitati V.rae, sine motu et convulsione regni nostri pertinere viderentur, ita comperimus non magni negotii rem futuram fuisse de tollendis eiusmodi scandalis, de quibus tam diligenter Sanctitas V.ra ad nos scribit, si iam tum nascentibus ac orientibus eiusmodi malis obviam itum fuisset, per eos, qui tunc in speculis ecclesiae et reipublicae constituti dormitaverant et dormierunt. Verum hoc tempore adulto iam et propemodum maturo malo, quod quidem sine incommodo cum aliorum bonorum in republica, tum inprimis pacis et tranquillitatis publicae evelli vix potest, venit nobis in mentem eius consilii atque adeo praecepti dominici, quod nobis hodierno die⁷¹¹ Ecclesia Sancta in Evangelio recitavit. Sineremus potius utraque crescere usque ad messem, quam temere colligendo zizania, evellamus forte et triticum⁷¹². Iam autem terrent nos quoque exempla haec recentia Gallica, ubi cum nihil in studio regum illorum christianissimorum ad recuperandam et vindicandam veram religionem, desiderari queat, nonnulla tamen ad praestandum pacatum et tranquillum reipublicae illius statum (quod dolenter admodum scribo) non immerito requiri posse videntur⁷¹³. Quamobrem bona spe sum daturam mihi esse Sanctitatem V.ram hoc tempore veniam, si medicos non omnino ineptos imitatus, quiescere potius interim humores etiam pravos patiar, quam aut intempestive frustra commoveam aut bonis etiam ipsis humoribus periculi aliquid ex commotione aliorum creem. Equidem nihil magis opto, quam beatam illam et desideratam messem, qua Dominus per ministerium suorum angelorum, quos nos esse sacerdotes et verbi Dei ministros interpretamur, zizania a tritico separet et puritatem seminis sui, quod est Verbum Dei, Ecclesiae restituat. Quae res mihi quidem in his affectis rebus et desiderio meo et temporum iniquitati et sanctae ipsius Matris Ecclesiae benignitati accomodatissima esse videretur. Quam ad rem Sanctitati V.rae ex animo omne meum studium, curam, operam, auxilium defero, paratus nihilominus etiam manum regiam ad omnia admovere, quae ad tranquillandam Ecclesiam, sine reipublicae perturbatione pertinere videbuntur, sed eius quidem rei occasionem omnem a tempore ipso maxime petendam esse arbitror, cui ego nunquam profecto deero, idque tum ad laudem et gloriam divini nominis meumque ipsius adeo honorem et existimationem, tum etiam ut studium in hoc genere conatusque meos ipsi etiam Sanctitati V.rae videar voluisse

⁷¹⁰ Ab a. 1560 cum Ivano dicto Terribili, magno duce Moscoviae, bellum gerebat.

⁷¹¹ In Evangelio Dominicae V post Epiphaniam.

⁷¹² Mt 13, 29-30.

⁷¹³ De bello religionis in Gallia diu inter hugonottas et catholicos saeviente, primum sopito et postea mense Septembri denuo incepto, scribit.

approbare. Quam optime valere cupio cuique me et dominia mea ex animo commendo. Datum in Kniisiin die VIII Februarii. Anno Domini MDLXVIII.

Eiusdem Sanctitatis V.rae obsequentissimus filius

^(a)Sigismundus Augustus Rex
Poloniae manu propria subscripsi^{a)}

^{a-a)} *Autographum.*

INDICES

INDEX NOMINUM

(personarum, institutionum et locorum)

composuit Maria Lamberti

